TRACTATVS
DE IMMVNITATE ECCLESIASTICA ET DE POTESTATE ROMANI PONTIFICIS

ALEXANDRI PESANTII ROMANI
PHILOSOPHIÆ, SACRÆ THEOLOGIÆ,
Et vtriusque Iuris Doctoris, Comitis, & Equitis.

AD SANCTISS. D. N.
PAVLVM QVINTVM
PONTIFICEM OPT. MAX.
Et ad Illustrissimum, & Reuerendissimum
D. SCIPIONEM BVRGHESIVM
S.R.E. CARDINALEM EIVS NEPOTEM.



ROMÆ, Ex Typohraphia Gulielmi Facciotti. M. DC. VI.
SVPERIORVM PERMISSV.

SANCTISS. D. N.

PAVLO QVINTO

PONT. OPT. MAX.

Ac Illustrissimo, & Reuerendissimo

D. SCIPIONI BVRGHESIO

S. R. E. CARDINALI AMPLISSIMO

EIVS NEPOTI.

Alexander Pesantius F.




Rodit iterum in lucem (Pater Beatissime; Scipio Princeps Illustrissime) Tractatus ille de Ecclesiastica immunitate, deque Romani Põtificis auctoritate, quem superioribus mensibus, vnà cum Commentarijs, & Disputationibus meis in vniuersam Doctoris Angelici Theologiam, primum typis consignatum, Augustissimo nomini vestro consecraui. Hoc autem, vt iterum aggrederer, & Ecclesiasticæ libertatis amor, & existimationis meæ ratio suo sibi iure deposcere videbantur. Cum enim anni huius exordio Venetijs publicis preli litteris Cõmentaria hæc

mea diuulgassem, nescio quo infortunio, Tractatus hic tamquam spurius è reliquo corpore, per summũ scelus extremis hisce temporibus excerptus, & quasi ad huius lucis radios caecutiens, Venetijs in tenebris delitescat; quiq. prius publica attestatione, diplomateq. Senatorum manibus kalend. Aprilis 1604. roborato placebat adeo, paulò post ad Venetos scopulos allisum, tam indignum fecerit naufragium. Quem vt colligerem, pro viribusq. reficerem, consulendum existimaui iterata hac editione, quantum in me foret, & Ecclesiasticae immunitati, & existimationi meae, vt & illa quàm latè pateat ab omnibus dignoscatur; & huic alienae labes minimè aspergantur, futurum ratus, vt quorum ad manus mutilatus ille peruenerit, nouae editionis beneficio medicina non desit, qui verò peregrino, & imminuto aditum obstruxerunt, natiuo illum decori, & ornamentis restitutum suscipiant, & amplexentur.

Hoc igitur ita constituto, reliquum consilium fuit expeditius, cuius potissimum patrocinio et nomine insignitus perueniret in Doctorum manus. A vobis (Paule Beatissime, & Burghesi Cardinalis Amplissime) non fuit diutius aberrandum. Quis enim non videt equum fuisse, vt Ecclesiasticae immunitatis patrocinium summo sacrorum


Antistiti, religionis vindici, & sanctitatis dicaretur, qui quasi Atlas cœlum hoc militantis Ecclesiæ inuictis humeris fulcis, atque sustentas. Tibi verò Burghesi Nepos Illustrissime pari ratione debetur, qui vt quasi nouus Alcides Auunculo Atlanti ingenti cœlorum pondere interdum defatigato, humeros illi supponis tuos, ita par fuerat, vt cui mutua Ecclesiæ regiminis cura impendet, illi pariter Ecclesiasticæ immunitatis patrocinium commendaretur. Accipite ergo hilari, serenoq. vultu, quo humilia quæque extollere consueuistis, alterum hoc deuotionis meæ monumẽtum, vel quia vobis iure debitum, vel quia vobis ab addictissimo, in vestraq. clientela posito cõsecratur, obsesque sit meæ erga vestrum augustissimum nomen obseruantiæ sempiternæ.



mea diuulgassem, nescio quo infortunio, Tractatus hic tamquam spurius è reliquo corpore, per summū scelus extremis hisce temporibus excerptus, & quasi ad huius lucis radios cæcutiens, Venetijs in tenebris delitescat; quiq. prius publica attestatione, diplomateq. Senatorum manibus kalend. Aprilis 1604. roborato placebat adeo, paulò post ad Venetos scopulos allisum, tam indignum fecerit naufragium. Quem vt colligerem, pro viribusq. reficerem, consulendum existimaui iterata hac editione, quantum in me foret, & Ecclesiasticæ immunitati, & existimationi meæ, vt & illa quàm latè pateat ab omnibus dignoscatur, & huic alienæ labes minimè aspergantur, futurum ratus, vt quorum ad manus mutilatus ille peruenerit, nouæ editionis beneficio medicina non desit, qui verò peregrino, & imminuto aditum obstruxerunt, natiuo illum decori, & ornamentis restitutum suscipiant, & amplexentur.

Hoc igitur ita constituto, reliquum consilium fuit expeditius, cuius potissimum patrocinio et nomine insignitus perueniret in Doctorum manus. A vobis (Paule Beatissime, & Burghesi Cardinalis Amplissime) non fuit diutius aberrandum. Quis enim non videt equum fuisse, vt Ecclesiasticæ immunitatis patrocinium summo sacrorum

Antistiti, religionis vindici, & sanctitatis dicaretur, qui quasi Atlas cœlum hoc militantis Ecclesiæ inuictis humeris fulcis, atque sustentas. Tibi verò Burghesi Nepos Illustrissime pari ratione debetur, qui vt quasi nouus Alcides Auunculo Atlanti ingenti cœlorum pondere interdum defatigato, humeros illi supponis tuos, ita par fuerat, vt cui mutua Ecclesiæ regiminis cura impendet, illi pariter Ecclesiasticæ immunitatis patrocinium commendaretur. Accipite ergo hilari, serenoq. vultu, quo humilia quæque extollere consueuistis, alterum hoc deuotionis meæ monumētum, vel quia vobis iure debitum, vel quia vobis ab addictissimo, in vestraq. clientela posito cōsecratur, obsesque sit meæ erga vestrum augustissimum nomen obseruantiæ sempiternæ.



TRACTATVS DE IMMVNITATE ECCLESIASTICA ET DE POTESTATE ROMANI PONTIFICIS.

ALEXANDRI PESANTII ROMANI Philoſophiæ, ſacræ Theologiæ, & vtriuſque Iuris Doctoris, Comitis, & Equitis.



DISPVTATIO PRIMA.

Quo iuris omnes Eccleſiaſtici ſint ſoluti legibus ciuilibus Principum ſæcularium.



RIMO ſupponendum eſt hic, Clericos, & omnes Eccleſiaſticos non ſubiacere ciuilibus Principum conſtitutionibus, & decretis.

Secundo ſupponendum eſt, quæſtionem eſſe, ſint ne Clerici immunes a ciuilibus Principum conſtitutionibus iure diuino, an naturali, vel potius humana lege, & ſi hac, ciuili ne, an vero pontificia, vel canonica.

Duæ in hac re ſunt Doctorum ſententiæ.

1 Sen-

1. Sĕtentia est Med. Sot. Palat. Victoria, Bannes, Ledesma, Couar. Petr. Ferr. Alc.

1 Sententia est Medinæ quæst. 15. de rebus restituendis, Soti in 4. dist. 25. quæst. 2. art. 2. concl. 3. 4. & 5. Palatij in 4. dist. 25. & 3. conclus. 3. Victor. relect. 1. de potest. Eccl. quæst. 6. prop. 2. Bann. 2. 2. quæst. 67. art. 1. Ledesmæ in 4. par. 2. quæst. 20. art. 4. versic. hæsitabis, conclus. 2. & 3. Couarr. in practicis quæst. cap. 31. num. 2, versic. 1. concl. Petr. Ferrar. in practicis de confess. §. plenum. Alciat. in cap. cum ab homine de iud. Hi omnes negant in ijs, quæ pertinent ad ciuilem gubernationem, Clericos immunes esse iure diuino a potestate Principum laicorum: exemptos tamen esse iure ciuili, atque canonico, qui hanc sentētiam tenent multis eam argumentis probare nituntur.

Argumenta pro prima sententia ex Scriptura.

Primo ex verbis Pauli ad Roman. 13. vbi habetur, quod in ipsis ecclesię nascentis exordijs, sacris initiati Principum subiacebant imperio: deinde Actorum 8. cap. 25. inquit: *Ad Cæsaris tribunal sto, à quo me oportet iudicari*: quod intulit, quia persuadebant ei, ne Præsidis iudicio staret: præterea 1. Petri 2. ait: *Omnibus parere debere principibus etiam discolis*: Insuper Matth. 22. ex persona Christi dicitur: *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo.*

Adhuc nullum diuinum pręceptum in sacris litteris Clericos a potestate sæcularium excusat: ergo. Adde, quod lex Christiana omnes Christi seruos quacunque ciuili obligatione, hoc est seruitute, coniugio, pecuniæ debito, obedientiaq́. obligat, & obstringit, quare ergo Dominus Clericos a ciuilium principum potestate liberabit? Amplius, quid obstat Clericos diuinis muneribus famulantes, non posse laicorum Principum statutis obtemperare? Quid, quando clerici cum laicis conuentiones faciunt, vel bona, & agros, seu aliud quidpiam emunt, vendunt, pignori dant, accommodant, mutuant, depositant, aut inter se permutāt? nonne in iudicium adduci debent, & cogi a laicis magistratibus, vt seruent conuenta, pecunias soluant, exigant, pignora reddant, accommodata, mutuata, depositique nomine

ne consignata restituant? vel quid faciendum, si clericus furti, homicidij, læsæ maiestatis, patricidij, veneficij, aut proditionis patriæ conuictus sit? num clericali habitu iustam supplicij animaduersionem effugiet?

Tandem inquiunt, si iure diuino clerici laicorum ordinationibus, atque legibus, non subderentur, non posset Papa clericali exemptioni, & libertati aliquid addere, vel diminuere, cuius tamen oppositum sæpius videmus. Item nec posset clericorum controuersias laico iudici delegare, nec eorum sententijs standum esset, licet Glo. in cap. valde dist. 49. declaret Romanos Pontifices id facere posse.

2 Sententia est Canonistarum, & multorum Theologorum, qui dicunt clericos, & omnes ecclesiasticos iure diuino, & naturali exemptos esse a ciuilibus principum legibus. Ita sentiunt Innoc. Host. cap. 2. de maior. & obed. glo. in cap. si Imperator dist. 96. in verbo discuti, & in cap. quanquam, de censib. in 6. in verbo diuino. Ioann. Andr. Dominicus, Archid. Anchar. Franchus in cap. quanquam de censib. in 6. Abb. Felyn. Dec. Butrius in cap. Ecclesiæ sanctæ Mariæ de Constit. de sent. excom. Aufrerius, Clem. 1. de offic. iudic. ord. vers. ad quæst. Rochus, Curtius in cap. vlt. de consuet. Rota in antiquis decis. 10. de consuet. 2 Snīa Canonistarū. Inn. Host. Andr. Dō. Archi. Ancha. Abba. Feli. Dec. But. Card. Auf. Cur. Rota.

Probant isti suam sententiam multis argumentis.

Primo ex Gen. 47. legitur Iosephum, cum Regi totam terram Aegypti quotanni tributo subiecisset, terram tamen sacerdotum immunem statuisse: & primo Esdræ 7. decernitur, ne Sacerdotes, & Leuitæ tenerentur soluere tributum Regibus Persarum: Item Numerorum 18. legimus dedisse Deum sacerdotibus decimas, quò sibiipsi ad altare ministrarent, igitur sacerdotes, & religiosi, dum in diuino ministerio, & rebus sacris vitam degunt, sæcularium principū effugiunt potestatem. Deinde Matt. 17. vitio dabant Apostolis, quod Augusto Cæsari tributum non soluerent; illos autem percontatus Dominus, Reges ne terræ a proprijs fi- Argumēta pro secūda sentētia ex Scriptura.

SANCTISS. D. N.

PAVLO QVINTO

PONT. OPT. MAX.

Ac Illustrissimo, & Reuerendissimo

D. SCIPIONI BVRGHESIO

S. R. E. CARDINALI AMPLISSIMO


EIVS NEPOTI.

Alexander Pesantius F.



Rodit iterum in lucem (Pater Beatissime; Scipio Princeps Illustrissime) Tractatus ille de Ecclesiastica immunitate, deque Romani Pōtificis auctoritate, quem superioribus mensibus, vnà cum Commentarijs, & Disputationibus meis in vniuersam Doctoris Angelici Theologiam, primum typis consignatum, Augustissimo nomini vestro consecraui. Hoc autem, vt iterum aggrederer, & Ecclesiasticæ libertatis amor, & existimationis meæ ratio suo sibi iure deposcere videbantur. Cum enim anni huius exordio Venetijs publicis preli litteris Cōmentaria hæc

Antistiti, religionis vindici, & sanctitatis dicaretur, qui quasi Atlas cœlum hoc militantis Ecclesiæ inuictis humeris fulcis, atque sustentas. Tibi verò Burghesi Nepos Illustrissime pari ratione debetur, qui vt quasi nouus Alcides Auunculo Atlanti ingenti cœlorum pondere interdum defagatito, humeros illi supponis tuos, ita par fuerat, vt cui mutua Ecclesiæ regiminis cura impendet, illi pariter Ecclesiasticæ immunitatis patrocinium commendaretur. Accipite ergo hilari, serenoq. vultu, quo humilia quæque extollere consueuistis, alterum hoc deuotionis meæ monumẽtum, vel quia vobis iure debitum, vel quia vobis ab addictissimo, in vestraq. clientela posito cõsecratur, obsesque sit meæ erga vestrum augustissimum nomen obseruantiæ sempiternæ.



TRACTATVS DE IMMVNITATE ECCLESIASTICA ET DE POTESTATE ROMANI PONTIFICIS.

ALEXANDRI PESANTII ROMANI
Philoſophiæ, ſacræ Theologiæ, & vtriuſque Iuris Doctoris, Comitis, & Equitis.



DISPVTATIO PRIMA.

Quo iuris omnes Eccleſiaſtici ſint ſoluti legibus ciuilibus Principum ſæcularium.



PRIMO ſupponendum eſt hic, Clericos, & omnes Eccleſiaſticos non ſubiacere ciuilibus Principum conſtitutionibus, & decretis.

Secundo ſupponendum eſt, quæſtionem eſſe, ſint ne Clerici immunes a ciuilibus Principum conſtitutionibus iure diuino, an naturali, vel potius humana lege, & ſi hac; ciuili ne, an vero pontificia, vel canonica.

Duæ in hac re ſunt Doctorum ſententiæ,

1 Sen-

1. Sētentia est Med. Sot. Palat. Victoriæ, Bannes, Ledesmæ, Couar. Petr. Ferr. Alc.

1 Sententia est Medinæ quæst. 15. de rebus restituendis, Soti in 4. dist. 25. quæst. 2. art. 2. concl. 3. 4. & 5. Palatij in 4. dist. 25. & 3. conclus. 3. Victor. relect. 1. de potest. Eccl. quæst. 6. prop. 2. Bann. 2. 2. quæst. 67. art. 1. Ledesmæ in 4. par. 2. quæst. 20. art. 4. versic. hæsitabis, conclus. 2. & 3. Couarr. in practicis quæst. cap. 31. num. 2, versic. 1. concl. Petr. Ferrar. in practicis de confess. §. plenum. Alciat. in cap. cum ab homine de iud. Hi omnes negant in ijs, quæ pertinent ad ciuilem gubernationem, Clericos immunes esse iure diuino a potestate Principum laicorum: exemptos tamen esse iure ciuili, atque canonico, qui hanc sentētiam tenent multis eam argumentis probare nituntur.

Argumenta pro prima sententia ex Scriptura.

Primo ex verbis Pauli ad Roman. 13. vbi habetur, quod in ipsis ecclesię nascentis exordijs, sacris initiati Principum subiacebant imperio: deinde Actorum 8. cap. 25. inquit: *Ad Cæsaris tribunal sto, à quo me oportet iudicari*: quod intulit, quia persuadebant ei, ne Præsidis iudicio staret: præterea 1. Petri 2. ait: *Omnibus parere debere principibus etiam discolis*. Insuper Matth. 22. ex persona Christi dicitur: *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo*.

Adhuc nullum diuinum pręceptum in sacris litteris Clericos a potestate sæcularium excusat: ergo. Adde, quod lex Christiana omnes Christi seruos quacunque ciuili obligatione, hoc est seruitute, coniugio, pecuniæ debito, obedientiaq́. obligat, & obstringit, quare ergo Dominus Clericos a ciuilium principum potestate liberabit? Amplius, quid obstat Clericos diuinis muneribus famulantes, non posse laicorum Principum statutis obtemperare? Quid, quando clerici cum laicis conuentiones faciunt, vel bona, & agros, seu aliud quidpiam emunt, vendunt, pignori dant, accommodant, mutuant, depositant, aut inter se permutāt? nonne in iudicium adduci debent, & cogi a laicis magistratibus, vt seruent conuenta, pecunias soluant, exigant, pignora reddant, accommodata, mutuata, depositique nomi-

ne

ne consignata restituant? vel quid faciendum, si clericus furti, homicidij, læsæ maiestatis, patricidij, veneficij, aut proditionis patriæ conuictus sit? num clericali habitu iustam supplicij animaduersionem effugiet?

Tandem inquiunt, si iure diuino clerici laicorum ordinationibus, atque legibus, non subderentur, non posset Papa clericali exemptioni, & libertati aliquid addere, vel diminuere, cuius tamen oppositum sæpius videmus. Item nec posset clericorum controuersias laico iudici delegare, nec eorum sententijs standum esset, licet Glo. in cap. valde dist. 49. declaret Romanos Pontifices id facere posse.

2 Sententia est Canonistarum, & multorum Theologorum, qui dicunt clericos, & omnes ecclesiasticos iure diuino, & naturali exemptos esse a ciuilibus principum legibus. Ita sentiunt Innoc. Host. cap. 2. de maior. & obed. glo. in cap. si Imperator dist. 96. in verbo discuti, & in cap. quanquam, de censib. in 6. in verbo diuino. Ioann. Andr. Dominicus, Archid. Anchar. Franchus in cap. quanquam de censib. in 6. Abb. Felyn. Dec. Butrius in cap. Ecclesiæ sanctæ Mariæ de Constit. de sent. excom. Aufrerius, Clem. 1. de offic. iudic. ord. vers. ad quæst. Rochus, Curtius in cap. vlt. de consuet. Rota in antiquis decis. 10. de consuet. *2 Snia Canonistarũ. Inn. Host. Andr. Dñ. Archi. Ancha. Abba. Feli. Dec. But. Card. Auf. Cur. Rota.*

Probant isti suam sententiam multis argumentis.

Primo ex Gen. 47. legitur Iosephum, cum Regi totam terram Aegypti quotanni tributo subiecisset, terram tamen sacerdotum immunem statuisse: & primo Esdræ 7. decernitur, ne Sacerdotes, & Leuitæ tenerentur soluere tributum Regibus Persarum: Item Numerorum 18. legimus dedisse Deum sacerdotibus decimas, quò sibiipsi ad altare ministrarent, igitur sacerdotes, & religiosi, dum in diuino ministerio, & rebus sacris vitam degunt, sæcularium principũ effugiunt potestatem. Deinde Matt. 17. vitio dabant Apostolis, quod Augusto Cæsari tributum non soluerent; illos autem percontatus Dominus, Reges ne terræ a proprijs fi- *Argumẽta pro secũda sentẽtia ex Scriptura.*

lijs, an ab alienigenis censum acciperent, Petro ab alienigenis affirmanti, respondit Dominus, ergo liberi filij sunt: vt autem illi non scandalizarentur pro se, & pro Petro tributum soluit, ex quo colligitur, Christum Dominum seipsum, & Petrum, quem Ecclesiæ suæ præfecerat, a solutione annui census liberasse. Insuper ait Psal. 114. *Nolite tangere Christos meos*, scilicet sanctos meos, quales clerici sunt a Domino consecrati.

Argumēta ex iure canonico. Argumentantur etiam ex iure canonico, quia in c. quanquam de cens. in 6. Bonifacius Papa VIII. decernit clericos, atque ipsorum bona omnia, tam iure humano, quam diuino ciuilibus Principum ordinationibus, & statutis non subiacere, facit etiam ex cap. non minus, de immunit. eccl. vbi in Lateranen. Concil. Papa hæc verba habet, scilicet. *Sacerdotes maioris fuisse in Aegypto sub Pharaone æstimationis, quam nunc sub ciuilium principum, & laicorum potestate: siquidem Pharao Israeliticis omnibus emancipatis sacerdotes solum, atque ipsorum bona libertate donauit*. Id ipsum habetur multis in locis 11. quæst. 1. cap. præsertim, cap. placuit, & cap. relatum. Grat. cap. futuram. 12. quæst. 1. & cap. conuen. 23. quæst. 8. Rufin. suæ Hist. eccles. lib. 1. cap. 2. refert,

Responsio Constantini Imp. Constantino Magno Imperatori porrectos fuisse libellos accusationum aduersus Episcopos, & illum accusantibus responsum dedisse: *Episcopos, & sacerdotes omnipotentis Dei iudicio reseruari*.

Tandem ex ratione propriæ sententiæ robur adijciunt, inquiunt enim si solum iure humano scripto clericalis turba a ciuilium principum potestate eximeretur, sequeretur hoc maximum ecclesiæ detrimentum, scilicet laicales principes, vel in totum, vel aliquali ex parte posse clericorum immunitati, & exemptioni derogare: ergo.

Sane valde grauis est quæstio, & non facili negocio terminanda: in qua nobis ita progrediendum existimo, vt primo quæ Doctoribus communiter accepta sunt, deinde quæ

ambiguo sensu laborant, diligenter adnotemus, & dilucidemus.

1 Notandum est hic non quæri, an exemptio clericorum, & ecclesiasticorum iure ciuili, & canonico confirmata sit, sed an ecclesiastici iure diuino a laicorum Principum legibus eximantur. *1. Notand.*

2 Notandum est, Marsilium Patauinum non iniuria ab ecclesia suspensum, & damnatum fuisse a Papa Ioanne XXII. per constitutionem incip. *licet iuxta doctrinam Apostoli*: quoniam asserebat Imperatoris iuri, & potestati non modo sacerdotes, & clericos, sed Episcopos, & Archiepiscopos, atque adeo ipsum Romanum Pontificem iure diuino esse subiectos: & addebat, ipso quoque iure diuino laicales principes in Christum dominum, tanquam in hominem habuisse potestatem ex Ioan. 19. quando Christus Pilato respondit: *Non haberes potestatem aduersum me vllam, nisi tibi datum esset desuper*: & ex verbis Pauli ad Rom. 13. & 1. Pet. 2. Act. 25. *2. Notand. Errores Marsilij Patauini.*

3 Notandum est, exploratum esse apud omnes Theologos, quod clerici in rebus diuinis, & ecclesiasticis iure diuino a laicorum Principum legibus sunt exempti: non enim clericis princeps prohibere potest sacrorum officiorũ exequutionem, peccatorum punitionem, sacramentorum administrationem, Scripturarum interpretationem, excommunicationum, suspensionum, irregularitatis, & interdicti poenas, eligendorum in Ecclesijs ministrorum examen, creationem, confirmationem, ordinandorum promotionem, & alia quamplurima. *3. Notand.*

4 Notandum est, receptum etiam esse, viros Dei obsequio dicatos nunquam ciuilibus occupationibus, & negocijs iure diuino sese immiscere posse: & si Rex, vel alius princeps clericis mandaret, vt in militiam proficiscantur, siue arma sumant, muros defendant, acies instruant, vel aliquid huiusmodi, ei obediendum nequaquam esse. *4. Notand.*

5.Notand. 5 Notandum, indubitatum esse, & omnes concedere, quod laici, quam in rebus annexis spiritualibus auctoritatem exercent, ea ecclesiæ priuilegio vtuntur: huiusmodi sunt ius patronatus, capellæ Regiæ, ius sepulturæ, ius nominandi aliquos ad beneficia, item ius imponendi, & exigendi pensiones, & alia.

His ergo notatis, veritas quæstionis versatur in his duobus.

Primo, vtrum clerici in rebus ciuilibus, & temporalibus possint iure diuino cogi ante tribunal laicorum, & illorum sententijs, & statutis obtemperare.

Secundo, an iure diuino clerici sint immunes a censibus, & tributis principum sæcularium.

1.Conclus. 1 Dico, secundam sententiam rationi, iurique canonico, ac diuino consentaneam esse: eam enim sequuntur nō modo canonistæ fere omnes, sed etiam Theologorum plurimi, vt Syluester verbo, immunitas. 1. quæst. 4. versic. secundum ad munera. Almain. tractatu de suprema potestate ecclesi. cap. 8. prop. 3. ad finem. Angel. verbo immunitas, num. 33. versic. 11. Præterquam quod canonistæ aiunt exemptionem clericorum cum iure diuino maxime conuenire, licet non concedant esse de iure diuino in rebus temporalibus, quod tamen legitur in iure canonico in c. quanquam de cens. in 6. & cap. si Imperator, dist. 96. & cap. non minus, de immun. eccl. & cap. nimis, de iureiur. idem habetur in Conc. Lateran. sess. 9. in Bulla reformationis curię, vers. & cum a iure, vbi hæc verba leguntur: & cum a iure tam diuino, quam humano, laicis potestas nulla in ecclesiasticas personas constituta sit: quibus verbis suffragantur etiam illa Concil. Trid. sess. 25. de reform. cap. 20. quæ sunt ista: *Et personarum Ecclesiasticarum immunitatem Dei ordinatione, & canonicis sanctionibus constitutam.* Ergo manifeste constat ex ipsis locis clericorum immunitatem esse de iure diuino.

2 Dico,

2 Dico, secundam sententiam Canonistarum niti etiā ratione. Primo quia ea, quæ Deo, & diuino cultui emancipantur, non amplius laicali iurisdictioni subſtant, Habetur in cap. nulli, cap. prædia, in quæſt. 2. & cap. quæ ſemel. 19. quæſt. 3. cap. ſemel, de reg. iur. in 6. vbi dicitur: *ſemel Deo dicatum, non eſt ad vſus humanos amplius transferendum*: Item in l. ſumma, ff. de rer. diuiſione, & in inſtitut. tit. eod. §. nullius, & in cap. in legibus 12. quæſt. 3. dicitur, ſacris vſibus inſtituta, eſſe bona Dei, ergo ſtatim ac Deo dicantur ab omni laicorum iure, atque imperio liberantur, quid enim rei eſt laico cum clericis in Dei ſortem, partem, & hæreditatem vocatis? Præterea, ſi vtenſilia ipſa, atque mobilia, vel ſtabilia, vbi diuinis ritibus, & officijs ſunt oblata, a ſæcularium vſu, commodo, & iuriſdictione ſecernūtur, ita vt aliqua ne tangere quidem poſſint, cur non clerici Deo perpetuo ſeruientes eodem priuilegio, & immunitate gaudebunt? Ad extremum, maxima hinc oritur ſeruorum Dei, & Eccleſiarum quies, pax, & tranquillitas, quæ alioquin multa paterentur damna, & incommoda, niſi verò ſimilius eſſet, Clericos iure diuino a laicorum Principū legibus, & ſtatutis eſſe abſolutos. 2 *Concluſ.*

Modo ad argumenta primæ ſententiæ, reſpondeo.

Ad primum, Pauli ad Roman. 13. & 1. Petri 2. & Act. 25. & Matth. 22. & Ioan. 19. dicimus, quod Paulus aduertens Dei Eccleſiam iam florere incipere, & facillimè poſſe ad nihilum reduci, ſi Principum legibus, & poteſtati non paruiſſet, ideo dixit ad Rom. 13. Omnis anima poteſtatibus, &c. non tamen voluit ſignificare Clericos iure diuino Principibus ſæcularibus eſſe ſubiectos, & intelligitur locutus reſpectiuè, videlicet laici ſint ſubiecti Principibus laicis, & Clerici Prælatis. Sanctus tamen Hieronymus per poteſtates ſublimiores Eccleſiaſticas dignitates intelligit, ad Rom. cap. 13. *Reſpondetur ad argumēta ſecundæ ſententiæ.*

Ad illud Ioan. 19. *Nō haberes poteſtatem aduerſum me, &c.*

dico

dico potestatem duplicem esse, vnam facti, alteram iuris, loquutumque esse Christum Dominum de potestate facti, qua communiter Tyranni vtuntur, non autem de potestate iuris, modo quæstio non est de prima potestate, sed de secunda.

Ad reliqua argumenta facilis est responsio, siquidem Clerici statim ac diuino seruitio, & cultui sunt dicati, ab omni laicorum imperio, & iure soluuntur, quod de Christianis eo ipso, quod Christiani sunt, non contingit.

DISPVTATIO II.

Vtrum ex longa consuetudine laici in Clericos potestatem habeant.

1. Sentētia est Nauar. Gul. Ray. Couar. & aliorū recentiorum.

1 ENTENTIA est Nauar. in Man. c. 27. nu. 70. Guliel. de Bened. in cap. Rayn. in ver. & vxorem, decis. 2. Couar. pract. q. c. 35. num. 5. & aliorum recentiorum, qui experientia facti dicunt, à iudicibus regijs Clericorum causas ad sua tribunalia sæpe fuisse reuocatas, & hoc rectè factum esse conantur defendere.

Argumenta pro prima sententia.

Primò probatur ex text. in cap. filijs, & nepotibus, 16. q. 6. qui iubet, si Metropolitanus deperdat bona Ecclesiæ, debere hoc Regi denunciari, ergo inquiunt, vt eum corrigat, & pœna afficiat.

Sed respondeo, ibi text. minus hoc voluisse inferre, sed benè denunciari Regi iubet illum Metropolitanum, vt Rex ipsum vel reprehendat, vel faciat instantiam alteri superiori pro illius correctione.

Secundo probatur ex verbis D. Hieron. in cap. Regum 23. q. 5. vbi de officio regali verba faciens, inquit: Regum munus

esse facere iudicium, & iustitiam, & eruere oppressos a manibus opprimentium.

Huic quoque auctoritati respondendum ita est, quod cum facienti iudicium requiratur iurisdictio, maximè ad Regem inquit D. Hieronym. pertinet iudicare de illis, in quos auctoritatem, & ius habet, scilicet in subditos: Clericis tamen proprij iudices sunt concedendi, nec in eos regiã auctoritatem exercere valet.

Quibus dictis suffragatur quotidie Rota Romæ, quæ definit, laicorum huiusmodi ius in Clericos nihil de iure posse: imò pugnare cum sacris sanctionibus, quoniam Concilia, & Pontifices interdicunt expresse laicis, ne Clericorum causas ad sua tribunalia reuocare audeant, ex cap. placuit, vt quisquis, cap. peruenit, 11. quæst. 5. cap. inclita, cap. si quis ex fratribus, & cap. si diligenti, & cap. significasti, de for. competen. vnde nec Episcopi licentia potest illis hanc auctoritatem communicare, vt notant ibi, & in cap. qualiter. Butrig. num. 8. Ioan. And. num. 11. Panor. nu. 7. Anch. nu. 5. Imo. nu. 3. Abb. & Bellamer. sub num. 3. *Rota Romana.*

2 Sententia est negatiua, & vera, laicos vi consuetudinis nullam habere auctoritatem, & ius in Clericos: ita Dec. num. 88. cons. 150. num. 4. Bald. in cap. Clerici, Butrig. ibid. num. 2. & 11. Felin. cap. 2. sub nu. 3. Ioan. Andr num. 6. Franc. num. 10. Ioan. Monach. num. 5. Roman. num. 13. & Panorm. cap. quisquis, sub num. 3. *2. Sententia est Dec. Bal. Butr. Fel. Ioan. And. Pan.*

Hæc secunda sententia probatur ex cap. Clerici, de iudic. in quo statuitur longam consuetudinem non posse præiudicare sacris ordinationibus, in quibus tollitur omnis potestas laicis cogendi Clericos ad tribunalia sæcularium. *Argu. pro 2. sententia.*

Secundo probatur ex cap. qualiter, & quando de iudic. in quo vetitum est, ne laici Clericos ad sua tribunalia conuenire vllo modo possint.

Tertio probatur, quia alioquin talis consuetudo tolleret libertatem ecclesiasticam, quod spectatim notat Bald.

in cap.

in cap. Clerici, Panorm. num. 6. Innocent. in cap. nouerit, de sententia excommunicat. Bartol.& Bald. in alia constit. Feder. cassa,& irrita, C.de sacrosanct.eccles.

1.Conclus. 1 Dico de præscriptione, eam non auxiliari laicis contra Clericos, etiam si sit temporis immemorabilis: ratio est, quia ex cap. causam notant Doctores, laicos non posse potestatem spiritualem habere, & exercere ciuiliter, quoniam sunt inhabiles ad illam, nec virtute alicuius præscriptionis habere ius, & auctoritatem in spiritualibus, atque adeò in Clericos: ita Ioan. Andr.& omnes in cap. 2.de præbend. in 6.Dec.in cap.decernimus,nu.38. de iudic. & Panorm.in cap.quanto, num. 2.de consuetud.

2.Conclus. 2 Dico, non posse sæculares principes Clericorum causas decidere,& sententiare, neque vi, aut armis cogere Ecclesiasticas personas ad comparendum ante sua tribunalia, nisi cum a Prælatis illarum fuerint requisiti: ex cap. administratores eadem quæst. & cap. 1.de offic.ordin.

3 Conclus. 3 Dico, quando aliquis Prælatus contumacia, aut insolentia subditorum Ecclesiasticorum non potest exercere suam auctoritatem, & potestatem in suos Clericos, debet ad Principes sæculares recurrere, & eorum auxilium,& brachium postulare, qui tenentur ei suffragari, vt not. Bald. in cap. olim, num. 14. de rescript. Panor. in cap. tua, nu. 10. de decim. & alij, & est textus in cap. 1.de offic.ordin.

DISPVTATIO III.

Vtrum consensus Romani Pontificis sufficiat in his, quæ longa consuetudine vsum iam acceperunt.

1.Sententia 1 ENTENTIA est affirmatiua, laicales magistratus multas Ecclesiasticorum causas ad sua prætoria reuocare, & iure posse decidere ex tacito

ex tacito Romani Pontificis consensu, ita aliqui recentiores.

2 Sententia est negatiua, quæ probatur primo, cum semper in dies Romæ Romani Pontifices reclament in sæculares, qui ecclesiasticos conueniunt, & ad sua tribunalia cogunt, prohibeant, pœnis, & censuris afficiant, qui talia facere audent. *2. Sententia*

Prætereo tot Rotæ, & Romanorum Auditorum decisiones: item litteras monitorias Anditoris Cameralis. Item solemnem publicationem excommunicationum quotannis factam a Romanis Pontificibus in die Cœnæ, quibus omnibus aperte colligitur tantum abesse, vt verum sit, quod isti recentiores dicunt, vt potius falso conuincantur.

Dices, posse laicos ecclesiasticorum causas recognoscere, & iudicare, quando certa est consuetudo, non posse autem, quando incerta, vel simulata est. *Obiectio.*

Respondeo, Romanos Pontifices quotiescunque in Bullis dicunt, sub prætextu consuetudinis sæculares non audeant Ecclesiasticorum causas ad se auocare, eos nedum prohibere hoc illis, quando consuetudo certa & manifesta est, sed etiam quando est incerta, & subobscura.

1 Quæres, an laici iudices possint Ecclesiasticas causas recognoscere, quando habent priuilegium Romani Pōtificis, vt inquit Bann. 2.2.qu.67. art.1. dub.2. conclus.6. Regem Hispaniæ habere, qui potest Ecclesiasticos ad sua Tribunalia cogere, quando aliquis laicus quærimoniam facit. *Quid faciēdum quando Principes habent priuilegiū a Papa.*

1 Dico, esse vidēdum, an vere is habeat priuilegium, qui dicitur habere, & ipsius esse illud ostendere, quando fiat instantia. *1. Conclus.*

2 Dico, debet considerari, an illud priuilegium sit personale, an ad tempus, an ad particulares, an ad omnes personas, & quibus conditionibus munitum, & roboratum: Item fueritne vnquam derogatum. *2. Conclus.*

 3 Dico,

Conclus. 3 Dico, non esse fide digna, huiusmodi priuilegia fuisse vlli vnquam concessa in Pontificiæ auctoritatis detrimentum, & diminutionem, & contra Bullam Cœnæ: quod si etiam concessa fuissent, quis nesciat per huius publicationem penitus reuocari, & de facto tolli?

Quō Papa possit laicis causas ecclesiasticas committere. 2 Quæres, quomodo Papa possit laicis causas Ecclesiasticas committere, cum iure diuino clerici a sæcularium potestate sint absoluti: quoniam Papa iuri diuino non potest derogare.

Respondeo, iuris diuini esse, ne laici per se clericorum causas cognoscant, sed quando cognoscunt ex auctoritate Romani Pontificis, id non iudicant ex propria auctoritate, sed tanquam ministri Papæ, atque ideo ius diuinum abrogare non dicuntur. *Quæ potest Papa laicis committere, & quæ non.* Et summa est, ea quæ sunt iurisdictionis laicis posse committi a Papa, non autem quæ sunt ordinis. quia horum laici sunt penitus incapaces.

DISPVTATIO IV.

Vtrum leges Principum sæcularium obligent clericos, & personas Ecclesiasticas.



HAEC quæstio a multis pertractata est, de hoc enim agunt Fely. Abb. & alij in cap. Ecclesia S. Mariæ de Constit. & interpretes iuris ciuilis in l. omnes populi, ff. de iust. & iur. & in l. ad instruct. C. de sacrosanct. eccles.

Notand. Notandum est, quod leges, & statuta possunt dupliciter considerari, vel quatenus Imperatoria, Regia, & sæculari auctoritate confirmata sunt, & hoc modo non obligant ad illorum obseruationem clericos, nec personas Ecclesiasticas, & ratio est, quoniam clerici non substant iu-

risdi-

risdictioni laicorum, nec Reges, aut Principes possunt condere leges, nisi in subditos, quoniam ferre leges, pertinet ad iurisdictionem. Bald. in l. nulli, C. de sent. & interloc. vel possunt considerari, quatenus in se aliqua habent, quæ iure naturali, vel canonico præcipiuntur, & ita ligant in foro conscientiæ Ecclesiasticas personas, non quatenus leges ciuiles, sed quatenus iure naturali, diuino, vel canonice confirmantur.

Quæres, quare leges laicorum obligent clericos, non ea ratione quatenus ciuiles, sed quatenus lege ciuili aliquid iure canonico, naturali, vel diuino præceptum continent.

Respondeo, quia clerici, & personæ Ecclesiasticæ tenentur iure naturali, canonico, & diuino, non ciuili, quia laici nullam habent in clericos auctoritatem.

1 Dico, quod laicus non obediēdo legibus Principis, pœnas incurrit per leges sui principis statutas, clericus autem non sic, quoniam peccat solum contra legem naturæ, non contra ciuilem. 1. Conclus.

2 Dico, quod laicus frangendo legem principis ciuilem, iure ab ipso pœnis afficitur, at clericus eandem violando non a principe laico, sed a suo prælato condemnari, & puniri debet, si eandem legem condiderit. 2. Conclus.

DISPVTATIO V.

Vtrum clerici, & Ecclesiastici teneantur obedire legibus laicorum, quibus pretia rebus venalibus imponuntur.



HAEC disputatio potest habere duplicem sensum, vel an clerici teneantur non minus ac sęculares illis legibus, aut teneantur vendere res suas honesto pretio, quod lex præscribit laicis.

Conclusio. Dico, si intelligamus primo modo, certum esse non ita obligari clericos illis legibus, quemadmodum laici, quia lex quatenus ciuilis est, non habet ius in clericos: at si quæstio sit de secundo, dico clericos, non minus obligari quam laici, vt res suas vendant iusto pretio, quia hoc est iuris naturalis, & diuini, quibus alligantur Ecclesiasticæ personæ, & non solum laici; alioquin si clerici res vendant supra honestum pretium, furtum committere dicuntur. Nõ tamen lege ciuili tenentur Ecclesiastici vendere triticum, oleum, vel ligna eo pretio, quo laicis eadem lege præscribitur: etsi in lege ciuili clericis etiam pœnæ imponantur, nihil in illos roboris habent.

DISPVTATIO VI.

Vtrum leges sæcularium obligent clericos, ne externis bona in ciuitate possint vendere, locare, aut concedere possint.

Refutatur snia Sign.



LICET Signorol. de Homodeis pro affirmatiua sententia multa adduxerit consil. 21. nihilominus tamen sententia negatiua quod tale statutum non comprehendat clericos, vera & communis est & sacris Canonibus conformis ita Alberi. de Rosatis tra. de statutis par. 2. qu. 2. Paul. de Castro cons. 89. nu. 1. lib. 2. Fely. in cap. Ecclesiæ S. Mariæ nu. 81. & 89. de Consti. Iulius Clar. in pract. crim. qu. 82. ad quintum statutum circa alienationem nu. 2. vbi opinionem asserentem tale statutum, vel leges Principum sæcularium non legare clericos nec Ecclesias dicit esse communem: Plotus cons. 19. nu. 11. 12. Iacob. Mandellus cons. 8. nu. 9. concl. 6. vbi impugnat


Snia negatiua est cõmunis.

pugnat

pugnat consilium Signorol. de Homod. eandem sententiã negatiuam in terminis tenuit sepe Rota, & signanter in vna Regien. siue Corigien. bonorum die 6. Februarij an. 1589. coram bon.mem.Gipsio. Decisio Rota.

DISPVTATIO VII.

Vtrum leges sæcularium possint obligare bona, & agros ad Ecclesiasticas personas translatos solutis contributionibus a populo imponendis.



HAEC quæstio est grauissima quam Calderin. tractat cons. 7. de Constit. vbi nu. 2. vers. ista quidem, considerata eius grauitate dixit indigere summi Pontificis declaratione. Quæstio grauissima

Doctores qui valde sepe in hac re obscure loquuntur, sic distinguere solent; quædam sunt onera, quæ prædijs, siue bonis propter ipsamet bona indicuntur, siue imponuntur, vt in l. rescripto §. fin. & in l. munerum §. patrimoniorum ff. de muner. & honoribus, & tunc dicunt talia bona sic onerata ad quemcunque perueniant, transire cum illo onere, quia illud onus est certum, reale, & perpetuum. Innoc. in c. non minus de immunit. Eccles. Abbas cons. 53. num. 1. vers. certum est lib. 1. Anchar. cons. 96. nu. 6. versiculo cessit autem. Nota distinctionẽ.

Quædam vero sunt onera non perpetua & certa, sed pro varietate temporum & negotiorum imminentium variabilia & mutabilia, quorum impositio, vt precitati Doctores dicunt, fit pro solido & libra, & hoc casu Doctores dicunt, quod si res, siue bona tali onere grauata perueniant ad Ecclesias, vel personas Ecclesiasticas, fiunt libera, quia desinit illud onus, postquam res peruenit ad personam priui-

priuilegiatam cap. nouerint 10.qu.1.cap.1. de iure patronatus lib.6. ita Archid. dicto cap.1.de immun. Eccles. lib. 6. quem refert, & sequitur Ioan. Andr. nu.5. in fin. & Gemin. ibid. nu. 9. vers. tamen subdebat, & Calder. cons.7. de constit.nu.2. circa fin. vers. subdit tamen, & hanc sententiam tenuit Rota in causa Brundosina gabellæ die 13. Febr.1604. coram Pença.

Decisio Rotæ.

Ex prædictis infertur hunc secundum casum de oneribus non perpetuis nec certis diffiniendum esse ad fauorem ecclesiarum, & personarum Ecclesiasticarum, ita vt Principes sæculares non possint per suas leges obligare bona & agros ad Ecclesiasticas personas translatos solis contributionibus a populo imponendis per Canones etiam Cōciliorum generalium claros in cap. non minus, & in cap. aduersus de Immun. Eccles. & per Constit. Pontificiam Alexandri Papæ IV. in cap. 1. de immunit. Eccles.lib.6.

Sententia vera.

De primo casu quando onera sunt perpetua, & certa,& rebus imposita maior est difficultas, & si generalitati sacrorum Canonum standum sit, idem dicendum videtur, quod de secundo casu, & ego vt tutas reddam Principum, & Magistratum sæcularium conscientias, non possem tuta conscientia aliud suadere, quam vt cum talia onera imponenda, vel imposita iam exigenda sunt, non aliter fiat, quam consulto & concedente Romano Pontifice.

Quid debeant facere Principes.

DISPVTATIO VIII.

Utrum clerici obligentur ijs legibus, quibus decernitur, dimidiam bonorum partem legitimè pertinere ad filios.



VAERITVR, an clerici sint obligati illis statutis, quibus lex ciuilis determinat, dimidiam bonorum partem ad filios pertinere ex. g. si Franciscus, qui lege ciuili tenetur relinquere

quere filio suo dimidiam portionem bonorum, relinquat tantum tertiam partem, & Ecclesiæ reliquum, quæritur, an Ecclesia teneatur reddere filio bona vsque ad integram satisfactionem dimidiæ portionis.

Dico, Ecclesiam teneri reddere in foro conscientiæ, quoniam lex illa ciuilis nihil immunitati ecclesiasticæ derogat, & proinde ea clerici & Ecclesiæ tenentur; ita Fely. Abb. & plerique in cap. Ecclesia S. Mariæ de constit. *Conclusio.*

DISPVTATIO IX.

Vtrum leges sæculares, quæ tollunt aliud ciuile statutum, quod clericorum continebat immunitatem, possint derogare libertati, & priuilegio Ecclesiasticorum.



QVAERITVR, num lex ciuilis abrogans aliud statutum, quo aliquod priuilegium clericorum continebatur, possit obligare in præiudicium libertatis ecclesiasticæ; ex. gr. statutum erat, vt in certa Ecclesia erogaretur singulis annis tanta pecuniæ summa, deinde aduenit alia lex id prohibens, quæritur an in foro conscientiæ teneat huiusmodi statutum.

Licet quorundam sententia sit affirmatiua, ego tamen existimo negatiuam esse veram, & ratio est, quia beneficium vbi ecclesiæ confertur, vim habet iuris, nec potest laicus illud amplius reuocare. plura vide apud Fely. in cap. Eccles. S. Mariæ de Constit. nu. 97. *Negatiua est vera sententia.*

DI-

DISPVTATIO X.

An leges sæculares, quibus cauetur, ne quis possessionem apprehendat Ecclesiæ, vel beneficiorum sine facultate Principis, vel suorum ministrorum, valeant.

Conclusio. ICO cum communi sententia Canonistarum, quos refert Fely. in cap. Ecclesi. S. Mariæ de Constit. nu. 96. non valere, quoniam derogant ecclesiasticæ immunitati, ecclesia enim habet ius, & potestatem mittendi clericos in possessionem ecclesiarum, & beneficiorum, ita omnes Canonistæ, qui communiter reprobant cons. 23. Angeli incip. *nulla persona:* contra quod tenet etiam Abbas cons. 83. lib. 1.

DISPVTATIO XI.

An valeant leges sæcularium Principum constituentes pœnam propinquis, & cognatis Ecclesiasticorum, eo quod Ecclesiastici ipsorum suis legibus obedire nolint.

Conclusio. ICO non valere, quoniam damno afficiunt ecclesiasticos, & derogant immunitati ecclesiasticæ, ita Fely. num. 99. & est textus in cap. olim de iniurijs.

Quæres, quid dicendum de legibus punientibus,

tibus, opprimentibus, vel onerantibus colonos, vel famulos Ecclesiasticorum, eo quod isti eorum forum, iurisdictionem detractent, & recusent: Respondeo, eodem prorsus modo, quo supra dixi de Ecclesiasticis dominis. *Quid dicendum de colonis.*

DISPVTATIO XII.

An valeant leges Principum sæcularium quibus statuitur vt clerici vnà cum laicis aliquid tribuant ad reficiendas vias, pontes, portas, muros ciuitatis, & alia huiusmodi; vt statuerunt Honorius, & Theodos. in l. ad instruct. & Theodos. & Valent. in l. iubemus, C. de sacros. Eccles.

1 SENTENTIA est dicentium clericos, & ecclesiam debere contribuere, ita Innoc. Vinc. Host. Glo. Cardin. Anchar. Philipp. in cap. non minus, de eccles. immunit. *1. Sententia*

2 Sententia est dicentium, clericos, & ecclesiam non debere contribuere: & hæc est sententia communis canonistarum, ita Abb. Ioan. Andr. Butr. & alij, in cap. non minus, de eccles. immun. *2. sententia*

1 Dico, huiusmodi leges non obligare ecclesiasticos, & ecclesias, etiam quando est communis vtilitas, nisi vel consulto Rom. Pontifice, si potest, vel non potest Episcopo loci iuxta decisionem Canonum non minus de immun. Eccles. *Conclusio.*

Quæres, quid dicendum de his, quæ toti populo soluenda imponuntur ad communem custodiam vrbis, mu-


torum, agrorum, tempore pestis, & belli. Respondeo, eodem prorsus modo, quo supra.

Et licet prima sententia sit secundum ius ciuile, tamen secunda cum sit secundum ius canonicum omnino tenenda est.

Vide Beroum cons. 31. incip. consultatio. lib. 1.

DISPVTATIO XIII.

An Ecclesiastici rei læsæ maiestatis per principes sæculares, & eorum iudices puniri possint.

Conclusio. ICO, non posse iure, ita Iul. Clar. lib. 5. recept. sent. in pract. crimin. quæst. 36. nu. 28. & probatur ex cap. si diligenti, de foro compet. vbi deciditur, quod clericus nonnisi coram iudice Ecclesiastico conueniri, vel condemnari potest.


Obiectio. Obijcies, in aliquibus ciuitatibus vi consuetudinis vigentis ecclesiasticos puniri ob crimen læsæ maiestatis a iudicibus sæcularibus.

Respondeo, in hac parte huiusmodi consuetudinem corruptelam esse, nec vis vlla præscriptionis, longæuæ consuetudinis laico ius dare potest, quia in laicum potestas Ecclesiastica cadere non potest: ita omnes communiter, vt infra.

DI

DISPVTATIO XIV.

An leges Principum sæcularium sint iustæ, cum Ecclesiasticæ immunitati, & libertati derogare videantur.



1 NOTANDVM est, in quibusdam prouincijs & Regnis Christianorum Principum esse statuta & leges, quibus cauetur, ne externi admittantur ad ecclesiastica beneficia, ac proinde literæ Apostolicæ non recipiantur contrarium decernentes: item ne ex beneficijs ecclesiasticis pensiones soluantur externis impositæ, & huiusmodi literæ Apostolicæ non recipiantur. item non admittantur literæ Apostolicæ, quibus derogatur priuilegijs ecclesiarum conferendi Canonicatus Magistris, vel Doctoribus. *1. Notand.*

2 Notandum, esse leges & statuta, quibus cauetur, ne Legati, vel Nuncij Apostolici ad regnum aliquod auctoritate Pontificia missi, vtantur facultatibus sibi a Romano Pontifice concessis, priusquam facultates huiusmodi referantur ad Regia prætoria, & iudicibus, vel magistratibus Regijs exhibitæ legantur, & recognoscantur. *2. Notand.*

3 Notandum est, hanc difficultatem fuse tractarunt Couarr. in lib. pract. quæst. cap. 35. & 36. Dried. lib. 2. de liber. Christ. cap. 2. *3. Notand.*

Hic monemus lectorem in hac quæstione decidendo, sicut & in reliquis, ita caute procedendum, vt nihil dicatur, quod vel immunitati ecclesiasticæ deroget, vel legitimam Regum, aut principum potestatem tollat, lædat, aut offendat. *Admonitio auctoris ad lectorem.*

Et ita breuiter referam, quid auctores de hac re senserint, secundo quæ erunt probabiliora, ideo.

4. Notand. 4 Notandum est, inter excommunicationes, quæ in Bulla Cœnæ Domini promulgantur, vnam ferri solitam ab anno Domini 1586. quæ constituitur in laicos, & etiam clericos, qui ciuilium principum auctoritate aliquo modo prohibent, impediuntve executionem literarum Apostol. mandator. & aliorum ecclesiast. processuum, vel decretorum pertinentium ad gratiam, vel iustitiam, & in eos, qui suum ad id consilium, aut assensum præstant, etiam prætextu violentiæ tollendæ, vel iniuriæ depellendæ, vel causa alterius obtenti iuris, seu etiam donec appellauerint ad Rom. Pontificem melius informandum, aut ei supplicauerint, nisi supplicationes huiusmodi coram Rom. Pontifice legitime prosequantur.

Quare dubitatur, an huiusmodi excommunicatione afficiantur iudices, Magistratus ciuiles, qui vim, vel iniuriã repellendi causa literas Apostolicas apud se retinent, & impediunt, quominus executioni mandentur, nec quippiam ad Romanum Pontificem referant, vigore priuilegiorum, & vt hæ difficultates bene discutiantur, sit

DISPVTATIO XV.

An causa possessoria, quando est de rebus spiritualibus, vel quasi spiritualibus possit iure coram iudice ciuili agi, & iudicari.



DE hac quæstione agit Abb.c.literas de iuram. calum.Couarr.lib,pract.quæst.c.35.nu.1.

1. Notand. Quotuplex sit causa. Quid sit cã spiritualis simpliciter

1 Notandum est, vt docet Abbas, quæstio, seu causa de re spirituali potest esse simpliciter spiritualis, aut simpliciter ciuilis, aut mixta: simpliciter spiritualis est ea, in qua tractatur de iure,

iure, .I. an hoc, vel illud matrimonium valeat, an hic, aut ille sit ex legitimo matrimonio natus, an impetratio beneficij canonica fuerit, &c. & huiusmodi causæ nullo modo coram iudice sæculari tractari possunt, cap. tuam, de ordine cognitionũ,& c.lator,c.causam,qui filij sint legitimi.

Causa,quasi spiritualis est ea, in qua agitur iudicio possessorio, quod requirit etiam ex aliqua parte petitorium, quo agitur de proprietate rei, ex.g. cum tractatur de restituenda coniuge marito, opus enim est eam causam agere, scilicet, legitimum inter eos matrimonium constitisse,cap. ex transmissa, & cap. ex parte, de resti. spolia: & hæc causa ex Abbate agi debet coram iudice Ecclesiastico, quia est ei coniuncta causa spiritualis, sine qua expediri non potest. *Quid causa quasi spiritualis*

Causa simpliciter ciuilis est, in qua nihil spirituale tractatur, vt cum agitur de iure succedendi in hæreditate. *Quid causa simpliciter ciuilis.*

Causa mixta est, in qua tractatur, an Franciscus, v. g. succedat in regno, quia simul etiam agitur, an fuerit hæreticus, vel excommunicatus his positis.

Quæstio est, an cum agitur vt Franciscus clericus recuperet ecclesiæ possessionem, a qua est eiectus per vim, vel retinet beneficij possessionem, in qua ab alio turbatur, sit causa spiritualis, an potius ciuilis. *Quid causa mixta.*

1 Sententia est Guidonis Papæ, Guliel. Bened. Nicolai Boer. Anfretij, Thom. Gramm. Ioan. Gall. Carol. Degraff. Ioan. Sel. quos refert Couarr. lib. pract. quæst. cap. 35. num. 1. qui dicunt, huiusmodi causam esse ciuilem, & ad iudices laicos pertinere, & in Gallia esse consuetudine receptum. *1. Sentent. est Guido Gulielm. Gall. Carol. Io Sel.*

Probant auctoritatibus Glos. in cap. cum dilectus, de elect. verb. iuramento, & in cap. literas, de restit. spoliat. in verb. iuramento, & Ioan. Andr. in cap. frequens, de restit. spoliat. in 6. Innocentij in eodem cap. cum dilectus, & Archid.

2 Sen-

2. Sentēt. 2 Io. Lign. 2 Sententia est Ioan. Lignani, & aliorum apud Panor. in cap. literas, dicentium, huiusmodi causam esse spiritualem, vel quasi spiritualem, & ad ecclesiasticum iudicem pertinere: & probatur ex Clement. 1. de causa possess. & Clem. 1. de sequest. possess. vbi causa de beneficio, siue iure petitorio, siue possessorio spiritualis censetur, his positis.

Hæc secunda sententia est vera & tenenda, quia iuri canonico conformis.

Quid faciat consuetudo. Quæres, an ob consuetudinem receptam, hæc causa possit ad ciuiles iudices pertinere, cum reus est laicus, & actor clericus est. Respondeo contra Couarruuiam tenentem affirmatiuam, & contra Matthæum de Afflict. decis. 24. dicentem id in Regno Neapolitano vsu esse receptum: si huiusmodi causa est spiritualis, vel quasi spiritualis, ad iudicem laicum trahi non potest, nec consuetudo contraria vim habet: nam laicus non potest sibi vendicare, quæ sunt Ecclesiast. iuris. Et hæc sententia est tenenda.

DISPVTATIO XVI.

An cum Episcopi, & cæteri ordinarij, et his superiores Antistites sunt negligentes in iudicandis huiusmodi causis ad Ecclesiam pertinentibus; iudex sæcularis iure possit eas ad se reuocare.

1. Sentent. 1  ENTENTIA est Couarruuiæ, quem sequũtur multi, id fieri posse. & probant primo, quia sic respublica quiete viuit, & omnis violentia propulsatur, nam alias delicta impunita remanerent, & innocentes ab improbis vexarentur. Secundo probatur auctoritate ex cap. filij, vel nepotibus, 16. qu. 7. vbi habetur Episcopis, & Archiepiscopis, negligentibus puni-

punitionem eorum rectorum, qui bonis ecclesiasticis abutuntur, licere patronis ecclesiarum Regem adire, vt illi malo medeatur.

2 Sententia est Abbatis, in cap. qualiter, & quando, de iudic. nu. 7. Innoc. Archid. Ioan. Andr. Panor. ibidem, qui dicunt iure id fieri non posse. 2. Sentent.

1 Dico, secunda sententia vera est. Nec enim canones, & iura voluerunt, vt spirituales causæ ad profanos iudices deferantur, & deuoluantur: nam in cap. qualiter, & quando, de iudic. Innocen. III. sic definiuit, ne pro defectu iustitiæ clerici deferantur ad iudicium sæculare, quod omnino fieri prohibemus, & idem constat ex cap. si quis clerici, & cap. placuit, cap. Christianis, cap. cleric. 11. qu. 1. 1. Conclus.

Ad argumenta primæ sententiæ: ad primum respondeo, non propterea sequi, vt impunita maneant delicta, aut innocentes ab improbis hominibus opprimantur: nam si Episcopi negligenter se gesserint, præcipiunt canones, vt causæ ad Archiepiscopos deferantur, quod si illi neglexerint, ad Primates, & Patriarchas recurrant, & postea ad Nuntios, ad Legatos, & ad summum Pontificem. Respondetur ad argum. 1. sententiæ.

Ad secundum argumentum respondet Panorm. in prædicto cap. qualiter, nihil obesse, quia solum ibi statuitur, vt Episcopo negligente, vel renuente ad Regem causa deferatur, non vt Rex ipse causam iudicet, sed vt moneat superiorem, vel ego respondeo hoc ius fuisse sublatum ab Innocentio III. in cap. qualiter, & quando supra allegato, vt ipse quoque Abbas testatur, & glos. quæ habetur in cap. illo filij, & ideo merito secundum Abb. reijcitur.

Nec mirum hoc esse debet, nam olim multa fuerũt permissa, & concessa, quæ postea sunt merito reuocata, mutata, & sublata.

Et sic potest respondi ad omnia alia argumenta, & auctoritates contra nostram conclusionem.

DISPVTATIO XVII.

An leges Principum sæcularium statuentes, ne beneficia Ecclesiastica conferantur externis, nec illis soluantur pensiones, nec admittantur literæ Apostolicæ derogantes iuri patronatus Principum, ne executioni mandentur sine consensu eorum, sint contra immunitatem Ecclesiasticam.

1 Sentent. è Couarr. Edictum Caroli V.

1 ENTENTIA est Couarruuiæ, de pract. qu. cap. 36. tenentis partem negatiuam, & refert extare edictum Caroli V. in Regnis Hisp. quo iniungitur Episcopis, & Regis Magistratibus præcipitur, vt curent, ne auctoritate literarum Apostolicarum iuri patronatus laicorum derogetur, & ideo in prætorio regio huiusmodi literæ prius recognoscuntur, & discutiuntur, & executio impeditur, donec Pontifex certior fiat, quantum detrimentum Hispan. regna patientur, & quam grauis multorum offensio sit oritura, & tandem, vt velit huic tanto malo occurrere.

Rebuffus in praxi beneficiorum, 3. par. signaturæ, in verb. Nec non iure patronatus nu. 12. & 36. testatur hoc ipsum apud Gallos obseruari.

Has leges Couarr. cap. 10. quibusdam rationibus defendit. Primo, quia hæ leges ante Philippi II. & Caroli V. tempora fuerunt longa consuetudine receptæ, & approbatæ. Secundo, quia canones etiam præcipiunt, ne in externos ecclesiastica beneficia conferantur. Tertio, quia Reges Hispan. sunt protectores, & patroni ecclesiarum, quæ in ipsorum regnis fundatæ sunt.

2 Sen-

2 Sententia est communis posse Romanum Pontificē iurepatronatus laicorum derogare, si velit, ac proinde si velit, non inferre iniuriam, neque vim laicis, quia vtitur iure suo, & solum id ius adimit laico, quod habet ab ecclesia, & hoc docent glos. Archid. Innoc. Abb. cap. relati a Couarr. loco citato. *2 Sent. est glo. Arch. Inn. Abb.*

1 Dico, iuripatronatus laicorum non creditur Rom. Pontif. derogare, nisi expresse id faciat: hæc conclusio patet ex se. *1. Conclus.*

2 Dico, quando Papa expresse derogat, debent profani iudices obedire, non obstantibus principum legibus, ratio est, quia causa est spiritualis, & ecclesiastica, & ita si Pontifex ferat excommunicationem contra impedientes literas Apostolicas, certe impedientes sunt excommunicati, nisi id seruent, quod Pius V. in Bulla Cœnæ Domini expressit anno 1568. vbi excommunicat laicos, & clericos, qui ciuilium principum auctoritate aliquo modo prohibent, impediunt executionem, & vsum literarum Apostolicarum, mandatorum, vel aliorum ecclesiasticorum processuum, vel decretorum pertinentium ad gratiam, vel iustitiam, & eos qui suum ad id consilium, aut auxilium perstant etiam pro textu violentiæ tollendæ, vel alterius obtenti iuris, seu etiam donec ipsi appellauerint ad Romanū Pontificem melius informandum, aut ipsi supplicauerint, nisi supplicationes huiusmodi coram Romano Pontifice legitime prosequantur. *2. Conclus.*

3 Dico, ex his intelligitur non esse liberum Magistratibus, & iudicibus sæcularibus literas Pontificias reijcere, quarum auctoritate beneficia in externos clericos conferuntur, aut derogantur iuripatronatus laicorum, sed licitum erit opponere de subreptione talium literarum apud iudicem Ecclesiasticum. *3. Conclus.*

Quod si in literis Apostolicis expresse vtrique iuri Pontifex deroget, tunc licebit coram iudice competenti eccle-

siastico seruato ordine iuris ad Pontificem Romanum appellare, & ipsi supplices libellos offerre, ne literæ Pontificiæ exequantur, dummodo id faciat opera & ministerio iudicum ecclesiasticorum, & postea vere appellationem, vt ait Pius V. prosequantur: alioquin ipsi nec propria auctoritate, nec regia literas Apostolicas impedire possunt: ratio est, quia potestas sæcularium principum est ciuilis, & non spiritualis, & Ecclesiastica.

Et idem dicendum est de pensionibus.

DISPVTATIO XVIII.

An liceat Principibus sæcularibus literas Apostolicas de causis spiritualibus recognoscere, & discutere, an sint falsæ, & subreptitiæ.

1.Sent. est Couarru. Driedonis

1  SENTENTIA est Couarr. loco citato, qui tenet affirmatiuam, & refert in aliquibus prouincijs esse Principum leges, quæ prohibent, ne literæ Apostolicæ recipiantur, nec exequantur, quin prius apud Magistratus sæculares discutiantur, an sint veræ, vel subreptitiæ.

Et primo probatur, quia id seruatur vsu, & consuetudine in multis regnis principum Christianorum, idem docet Driedonus, quem Couarr. citat.

2.Sentent.

2 Sententia tenet partem negatiuam.

Conclusio.

Dico, iure communi pertinere ad iudices Ecclesiasticos huiusmodi recognitionem ad laicos vero pertinere non iure, sed solo priuilegio sedis Apostolicæ, & consensu Roma. Pontificis, qui potest, si velit iusta de causa, id Principibus, & Regibus demandare, & committere, vt ipsi non au-

ctoritate

ctoritate propria, & potestate ciuili, regia, vel Imperatoria literas Apostolicas discutiant, sed auctoritate Pontificis ipsis delegata, vt tanquam delegati a summo Pontifice id faciant: de priuilegio autem Apostolico, & de eius tenore omnino constare debet, quia qui priuilegium allegat, illud ostendere & probare tenetur cap. 1. de priuileg. nam quod priuilegio vendicatur, si non ostenditur, vsurpatur cap. frustra 8. dist.

DISPVTATIO XIX.

An leges ciuiles Principum statuentes posse eos, qui a iudicibus Ecclesiasticis per vim & iniuriam censuris afficiuntur excommunicatione v. g. interdicto, &c. saeculares magistratus adire possint, vt vim propulsent, & edicto cogant iudices Ecclesiasticos ab ea vi, iniuria desistere, sint contra immunitatem Ecclesiasticam.

1 SENTENTIA est Couarr. qui tenet posse principes condere huiusmodi leges, & eas esse iustas. *1. Sent. est Couarr.*

Primo probatur, quia nisi Principes hoc remedio vterentur aduersus iudices Ecclesiasticos, innocentes passim opprimerentur, & Episcopi, quoniam procul a Romana Curia distant, auctoritate sua Ecclesiastica saepe abuterentur, sed hoc inconueniens per huiusmodi leges tollitur, ergo: secundo probatur, quia Principum est, vt habetur in cap. Reg. 23. quaest. 5. ius cuique reddere, & per vim oppressos a manibus violentorum liberare, ergo: ter-

tio probatur ex cap. principes, cap. administratores, 23. quæst. 5. in quibus habetur, Principes sæculi intra Ecclesiã eam potestatem habere, vt superborum ceruices comprimant, & quod fieri non potest per iudices Ecclesiasticos, .s. vel quia non possunt, vel negligunt id facere, ab ipsis iuxta disciplinam reipublicæ vtilem, executioni mandetur. Quarto probatur, quia hic vsus est apud Gallos, & apud aliquot alios principes, ergo

2. Sentent. 2 Sententia affirmat esse contra canones, & iura, vt principes, & iudices sæculares iudicent causas, & personas Ecclesiasticas, & ad sua tribunalia vocent, & pœnas in eas constituant: nam si clericus, vel Episcopus fuerit pœna dignus, debet condemnari, & puniri ab Ecclesiastico iudice secundum canones, nam clericus debet conueniri coram Episcopo, Episcopus coram Archiepiscopo, vt determinat cap. ad reprimendam de offic. ordin. cap. sacro. de sent. excomm. Archiepiscopus coram primate, cap. antiqua, de priuil. primas coram Rom. Pontifice, vel Legato. Cur ergo, si Episcopus delinquat, causa defertur ad Curiam Principum sæcularium, & non ad Archiepiscopum, non ad Primatem, non ad Nuntium, vel Legatum Pontificis?

1. Conclus. 1 Dico, Magistratus regios, & principes sæculares iure non posse cognoscere causas ecclesiasticas, cum ecclesiastici iudices, vel negligunt, vel nequeunt: probatur, quia non est consequens, si Episcopi id non faciunt, deesse in prouincijs & regnis iudices Ecclesiasticos competentes, cũ sint Archiepiscopi, Primates, cum sint Pontificis Legati.

Quid faciẽdũ quando Pontifices omnia iura negligunt, & subuertũt.

1 Dices, quid si ipse quoque Romanus Pontifex canones, leges, & omnia iura negligat, & subuertat? delicta impunita relinquat? innocentes opprimat? vim inferat, & res ecclesiæ dissipet? Regum & principum iura peruertat?

Papa non cognoscit in terris vllã potestatẽ supra se

Respondeo, Romanum Pontificem nullam potestatem in terris supra se cognoscere, & a nullo; nisi a Deo iudicari c. nemo, 9. q. 3. c. si Papa, d 40. c. ipsi sunt, c. cuncta, 9. q. 3.

Item

Item Roman. Pontificem superiorem esse qualibet humana potestate, & lege, vt fuse infra, quando disputabimus de potestate Romani Pontificis, quare si Pontifex legi ciuili, & canonici deroget, vel iuri scripto Regis, & id iniusta causa faciat, iudicari, aut condemnari ab vlla potestate non potest, sed orandus, & monendus est, ne id faciat, ei sunt proponendæ rationes, & causæ; quibus moueri possit, ne canones & priuilegia violet, & abroget. Itē per Cardinales,& alios præsules ecclesiarum rogandus est, vt Principum, & aliorum paci, & tranquillitati prospiciat. *Papa est superior qualibet alia pōtate.*

Et hoc est, quod Turrecrem. in summa de eccles. lib. 2. cap. 106. Syluester Papa quæst. 4. vers. ex Paludano docuerunt.

Ex his patet solutio argumentorum, quæ sunt desumpta ex cap. filijs, vel nepotibus, & cap. princeps, cap. administratores, & cap. regum supra citatis, de quorum vera intelligentia vidi decisionem Rotalem in causa Oscen. canonicatus an. 1595. coram Penia. *Responde-tur ad argumētorū.* *Decisio Rotæ.*

Obijcies, ius naturale est, vim vi repellere, l. vt vim ff. de iustit. ergo laicus ius habet vim repellendi vi. Respondeo, vim vi repelli posse in eo casu tantum, quando iudex, vel alius superior priuata auctoritate extra iudicium vim affert, non autem cum publica auctoritate iudicis procedit, seruando ordinem iuris: & si etiam tunc contra canones, & iura opprimatur, & condemnet innocentem, peccat quidem iudex, & secundum canones est appellandum ad iudices superiores, vt supra diximus.

1 Dices, quid erit agendum, si supremus iudex ecclesiasticus damnet innocentem. Respondeo, innocentem debere æquo animo pœnas sustinere, & non iudici manus & arma inferre contra Victoriam in repetit. de potest. Papæ, & Concil. in 22. proposit. Quare vsus forensis, quem approbat Couarr. non mihi probatur, imo videtur contra canones, & iura, & nullo modo defendi potest: cum canones *Quid faciē dum cum iudex ecclesiasticus dānat innocentem.* *Falsa doctrina Couarruuiæ.*


nones

nones prohibeant, ne etiam Imperatores, Reges, & Principes de clericis, & de causis spiritualibus, & ecclesiasticis cognoscant, & iudicent, nam pugnat cum sacris canonibus, vt ab ecclesiasticis iudicibus ad ciuiles, & sæculares iudices appelletur, ita colligitur ex cap. qualiter, & quando, de iudic. cap. si quis clerici, cap. placuit, cap. Christianis, cap. clericum 11. qu. 1.

Obiectio. Obijcies, in aliquibus prouincijs esse receptum consuetudine, quod laici de certis ecclesiasticorum criminibus, & causis iudicent, & corrigant. Respondeo, hanc consuetudinem canones corruptelam appellant: nam nunquam potest venire in præscriptionem, vt laicus iudicet causas, & personas Ecclesiasticas: & ita non erit satis, etiamsi cõsuetudo sit temporis diuturnitate firmata, cuius initium non appareat, quoniam, vt docet Ioan. Andr. in cap. 2. de præb. in 6. & Abb. in cap. quanto, de consuet. consuetudo longi temporis decursu munita, cuius initium in hominum memoria non est, dat quidem ius ei, qui capax est potestatis, vt habetur cap. 1. de præscrip. in 6. sed non dat ius ei, qui capax non est iurisdictionis ecclesiasticæ, vt supra diximus.

DISPVTATIO XX.

An potestas, quæ a summo Pontifice datur suis Nuncijs, & Legatis, a Regibus & suis Magistratibus discuti iure possit.



COVARRVVIAS in cap. supra citatum, num. 4. dicit huiusmodi consuetudinẽ esse in aliquibus regnis, & defendit esse iuri congruentem, ne inquit, hi aliqua auctoritate vtantur cum detrimento suorũ subditorum, & regnorum, cum externi sæpe ignorent, quæ

sint

sint priuilegia Regni, & prouinciarum.

Respondeo ad hanc sententiam, & ad argumentum Couarr. quod ad summum eius argumentum tantum probat, Nunciorum, & Legatorum potestatem discuti debere per iudices ecclesiasticos, qui in regnis commorantur, quales sunt Episcopi, Archiepiscopi,&c. & sic dico huiusmodi consuetudinem, quam refert Couarr. esse contra iura & canones, vt supra; ex commissione Papæ exhiberi tamen debent literæ Apostolicæ Legatorum, & Nunciorum Regibus, & Principibus, vt eis innotescat legitima legatio, neque enim videtur esse Pontificis mens, vt asserenti se esse Legatum, vel Nuncium Apostolicum, statim credatur, nisi literas Apostolicas suæ Legationis, suarumq. facultatum ostendat, vt colligitur ex cap. nobilissimus, dist. 97. & docent Speculator, & Anton. quos refert Andr. Cambarus in tract. de officio, & potest. Legati, lib. 1. §. qualiter Legatus gerere se debet, cum prouinciam est ingressus num. 3. & olim Legati Imperatoribus missi literas ostendebant, ex l. 1. C. de manda. princip.

DISPVTATIO XXI.

An Principes habeant ius & potestatem conuocandi Episcopos, & Archiepiscopos, & alios Ecclesiarum antistites, & præfectos in sua ditione manentes, vt libertatem, & pacem conseruent et defendant.

PRO declaratione duplex occurrit difficultas, prima. An Princeps ex eo, quod sint Principes in suis regnis habeant ius patronatus Episcopatum, & beneficiorum in eis regnis existentium. Secunda an possint conuocare Episcopos & Prælatos suorum Regnorum Ecclesiasticos. *Duplex difficultas.*

Ad

Ad primam difficultatem.

1.Conclus. 1 Dico Principes temporales ex eo, quod Principes sunt, non habere ius patronatus beneficiorum existentium in suis regnis, ita vt ad illa posſint personas eligere & pręsentare; dicuntur tamen esse patroni Ecclesiarum, & omnium beneficiorum ex eo quod eorum libertatem & immunitatem, & bona protegere, & defendere teneantur: isto enim modo dicuntur patroni, idest defensores & protectores, ita Abb. in cap. de hoc nu. 10. de simon. Præpositus in cap. Imperium num. 3. dist. 10. & sic resoluit Rota in terminis in causa Ouetensi Abbatiæ de Tugnon. die 3. Aprilis 1595. coram Penea.

Decisio Rotæ.

Ad secundam difficultatem.

2.Conclus. 2 Dico Reges & Principes sæculares ratione sui muneris, & officij non habere ius conuocandi Episcopus & eis præcipiendi, vt hoc vel illud faciant, quia de iuro diuino sunt exempti a Principum sæcularium iurisdictione c. quãquam de censib. lib. 6. possunt tamen Reges pro negotijs Reipublicę communibus rogare Episcopos eosque vocare, vt ad se veniant, non tanquam Episcopos, sed tanquam proceres, quia opus illis habent, non tamen præcipiendo, & multo minus sub minus, vel pœnis.



DISPVTATIO PRIMA.

DE POTESTATE ROMANI PONTIFICIS SVPER VNIVERSVM ORBEM.



MISSIS erroribus hæreticorum.

In hac materia duæ sunt sententiæ.

1 Sententia est Pontificem vt Pontificem non habere directe,& immediate vllam temporalem potestatem, sed solum spiritualem: tamen ratione spiritualis habere saltem indirecte potestatem quandam, eamq; summam in temporalib. ita Ioan. de Turrecre. lib. 2. sum. c. 13. Phigius lib. 5. hierarc. eccles. Caiet. in apolog. c. 13. Francisc. Victor. q. 2. de potest. eccles. Domi. a Sot. in 4. dist. 25. q. 2. ar. 1. & Card. Bell. lib. 5. de Potest. Pontif. c. 4. 6. *1. Sent est Turrecre. Phigii, Caiet. Victo. Sot. Card. Bell.*

Fundamentum horum est, Christus vt homo dum in terris vixit, non accepit, nec voluit vllum temporale dominium, summus Pontifex Christi Vicarius nobis Christum repræsentat, qualis erat dum hic inter nos viueret, ergo sum. Pontifex nullum habet temporale dominium: & quia hoc fundamentum est ex præcipuis basibus, cui fere totum eorum ædificium innititur, in probando in Christo fuisse regiam potestatem temporalem, aliquantulum immorabor infra in 1. conclus. *Fũdamentũ primæ sententiæ.*

2. Sententia est Pontificem iure diuino habere plenissimam potestatem in vniuersum orbem terrarum, tum in rebus ecclesiasticis, tum in politicis: ita S. Tho. lib. 3. de re- *2 Sentent. est S Tho. S. Anton. S. Bonau.*

S. Augu. Aliĳ Hér. & communis. gi. prin. c. 10. S. Anton. tit. 3. de domi. reg. c. 2. S. August. Triumphus, Henric. de Gand. Alens. 4. p.c. 4. S. Bonau. in 4. d. 37. & aliorum, & hæc est sententia communior, vt infra in 4. conclus. videbimus.

1. Cõclus. In Christo fuit regia potestas tẽporalis. 1 Dico, in Christo Domino nostro fuisse regiam potestatem temporalem contra fundamentũ primæ sẽtẽtiæ.

Probatur ex Scriptura. Matth. 2. Primo probatur ex auctoritate Scripturæ, Matth. 2. *Cum natus esset Dominus Iesus in Bethlehem*, Reges sapientes orientales proprijs relictis domibus Hierosolymam ingressi, homines interrogando dixerunt, *Vbi est qui natus est Rex Iudaorum*, Dominum appellant Regem, talemq. muneribus confitentur, ergo.

Conclusio. Dices, non tanquàm regem temporalem, sed vt regem externum a regibus orientalibus Saluatorem muneribus veneratum fuisse. Sed contra, quia hæc responsio historiæ Euangelicæ bene accommodari non potest: narrat S. Matth. horum Regum nuntio, Herodem turbatum, vniuersamq. ciuitatem fuisse commotam, & fremuit adeo Herodes, ac timuit, ne regnum amitteret noui huius magni Regis ortu; vt barbarie immanissima in paruulos innocentes inseuiendo ab imatu, & infra in finibus illis trucidari iusserit: Herodis hæc commotio non aliunde profecta est, nisi a Magorum colloquio, quo Regem Iudæorum dominum Saluatorem nostrum regem temporalem cognoscebant, & confitebantur, non enim ob regem spiritualem excanduisset Herodes, nec sibi timuisset, ergo Christus tunc vt Rex temporalis agnitus fuit: quod etiam munera ei a regibus oblata indicant, vt Iuuencus presbyter annotauit, quem S. Gregorius Papa, & alij quamplurimi obseruauerunt.

Matth 17 Secundo, idem c. 17. exactores didrachmæ Petrum interrogant, cur Christus Dominus noster tributum non solueret: Dominus vt propriam immunitatem ostenderet, causamque, cur non solueret Petrũ interrogat, qui nam essent immunes ab hoc onere soluendo, an filij Regum, an subditi

abiecti:

abiecti: respondente Petro subiectos esse illos, qui tributa soluunt, infert Dominus, Regum filios liberos esse, ipsumq; immunem: & hæc causa erat, cur tributum non solueret: nihilominus iubet Petro, vt eat ad mare, piscem capiat, os eius aperiat, in quo staterem inueniet, quo exactoribus tributum soluat, non quod teneretur: sed ne illis scandalo esset: hic sermo est de potestate regia temporali, huic nunquam tributa, & vectigalia subditi soluunt, a quorum solutione immunem se ait esse Dominus, quoniam Rex erat.

Tertio ex Zacha. c. 9. ingredienti Domino Hierosolymam, occurrit ei turba copiosa, asinæ insidenti, quæ vestimenta strauit in via magnoq. acclamatu illum recipit: cur autem asinæ Dominus supersederit, enarrans Euangel. hist. ait, ea de causa factum fuisset, vt adimpleretur prophetia Zachariæ: *Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam*: vt rex temporalis recipitur, & non vt Messia Saluator, quia mysterium istud iam tunc latuit, ergo in Saluatore nostro fuit regia temporalis potestas: Confirmatur, nam Saluator noster mittens discipulos ad accipiendum asinam, & pullum eius, ait illis: *Ite in castellum, quod contra vos est, & statim inuenietis asinam allegatam, & pullum cum ea, soluite, & adducite mihi: & si quis aliquid vobis dixerit, dicite, Dominus hic opus habet, & confestim dimittet eos*: ergo Dominus hoc actu exercuit regiam potestatem.

Quarto probatur in eodem Euangelio, cap. 19. Hebræis clamantibus coram Pilato, ab eoq. flagitantibus, vt Christus crucifigendus traderetur: respondit ipse Regem vestrum crucifigam? ergo Pilatus agnouit potestatem Regiam temporalem, & habuit Pilatus hoc pro cōstanti, ideo in tabella, quæ capiti Saluatoris superposita fuit, inscribi mandauit I. N. R. I. & in hac sententia semper perseuerauit, ideo respondit Hebræis nolentibus hanc inscriptionem, quod scripsi, scripsi.

Obiectiones. 1 Obijciunt auctores primæ sententiæ ex Luc. 12. quod adolescenti illi roganti Dominum Iesum, vt iudicium proferret in causa, quam cum fratre habebat: respondit, *O homo, quis me constituit iudicem, aut diuisorem inter vos*, ergo: insuper cum nouit, quod raperent eum, regemq. constituerent, aufugit, & secessit in partem aliam, ergo.

Responsio. Ad primam obiectionem respondeo, negando consequentiam, quia negando proferre sententiam, & declinando ab illo iudicio, non sequitur, vt paret, quod non fuerit Rex.

Ad secundam respondeo Saluatorem cessisse regno, dominioq. regali sibi ab hominibus oblato, quia noluit regẽ fieri per homines, qui regnum dabat hominibus: prætereà id fecit propter eruditionem nostram, vt fugiamus honores.

Obiectio. 2 Obijciunt, Christus dixit Pilato, *Regnum meum non est de hoc mundo*, ergo: respondeo, quod Christus non dicit regnum meum non est in hoc mundo, sed de hoc mundo: intellige electione mundana, aut successione in regno: venerat enim, vt nos redimeret: at completo Redemptionis mysterio sui regni administrationem Petro contulit, qui hanc potestatem temporalem in Ananiam, & Zachariam exercuit, Act. 5.

Quinto, probatur nostra conclusio Ioan. 5. *potestatem dedit ei iudicium facere, quia filius hominis est*, ergo & Papa cum sit eius Vicarius, c. rogamus 24. q. 1. consequentia patet, quia eadem est iurisdictio delegati, & delegantis, Siluest. & Ang. in verb. delegatus, nu. 5. idem tribunal, cap. non putamus, de consuetud. in 6. ergo.

2. Conclus. Papa potest deiudicare Principes sæculares. 2 Dico, Papa vt Papa principes sæculares deiudicare potest; primo probatur ex Scriptura, Moises iudex à Deo constitutus est super Pharaonem Exod. 1. sed Moyses fuit summus sacerdos, ergo & Papa habet potestatem super principes, & reges, quod si summi sacerdotes veteris legis

hac

hac potestate functi sunt, multo magis nouæ legis illa fungebunt: confirmatur per tex. in c. per venerab. qui fil. sint legi. & in c. solitæ, de maio. & obe. quib. in locis docet Pontifex, plenam iudicandi potestatem temporalia, reges, & Principes in Christi Vicario reperiri varijs rationibus ex veteri, & nouo testamento desumptis.

Increpauerat Papa Constantinum Imperatorem quia Patriarcam Constantinopolit. eo non erat prosequutus honore, qui tantæ dignitati conueniebat: & quia Imperator ægre tulit reprehensiones, Summus Pontifex ad Imperatorem literas dedit, quibus ostendit ab ipso iudicari posse Principes, & Reges, ex illo Hieremiæ dicto a Domino, *Ecce constitui te super gentes, & regna, vt euellas dissipes, ædifices, & plantes*: hæc verba non a quolibet dicta sunt, sed a Deo, nō regi, sed sacerdoti: quod si hæc dicta sunt sacerdoti, multò magis dicta erant summo Pontifici: hæc consequentia est Innocentij loco supra citato: & vide omnino hoc caput, vbi inuenies multas alias auctoritates, quas breuitatis causa omitto.

3 **Dico, Papa, vt Papa leges ciuiles concedere potest, & Cæsareas immutare, & corrigere probatur, Papa reges ipsos, & Imperatores emendare potest, c. Adrianus, 63. dist. ergo multo magis eorum leges.** *3. Conclus. potest concedere leges ciuiles.*

DISPVTATIO II.

Sententia Auctoris ex communiori opinione maximorum Theologorum & Canonistarum.

4 ICO, summus Pontifex iure diuino habet plenissimam potestatem in vniuersum orbem terrarum tum in rebus ecclesiasticis, tum in politicis, ita 2. sententia. *4 Conclus. Papa iure diuino est directe dominus orbis.*

Primo

Primo probatur ex cõmuniori senten. maximorũ Theol.
S.Th.lib.3.de regimine Principum c.10.dicit, dominiũ quoddã est sacerdotale, & regale: Similiter aliud est regale vel Imperiale, tertiũ est politicum, quartum æconomicum: primum cæteris antefertur multiplici via, sed præcipue ex institutione diuina scilicet Christi, cum enim eidem secundum eius humanitatem sit omnis collata potestas, Matth. 16. dictam suam potestatem suo Vicario communicauit, cum dixit: *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & tibi dabo claues regni coelorum, & quodcunq. ligaueris super terram, erit ligatum & in cœlis & quodcumq; solueris super terram, erit solutum & in coelis;* quod si dicatur ad solam referri spiritualem potestatem, hoc esse non potest, quia corporale, & temporale a spirituali & perpetuo dependẽt, sicut corporis operatio ex virtute animæ: sicut ergo corpus per animam habet esse, virtutem, & operationem ex Arist. & Aug. de immort. animæ, ita & temporalis iurisdictio Principum per spiritualem Petri & successorum eius principum. Et clarius c. 19. & in 2. d. 44. q. 2. vbi clarissime habet Papam habere vtriusque potestatis apicem spiritualem, & temporalem in totum orbem terrarum.

S. Anton. S.Ant.tit.3.de dominio regnorum, c. 2. & 3. p. sum. tit. 22.c.5.§.17.dicitur: qui enim dicunt Papam in orbem terrarum totum dominium habere super spiritualia, non autem super temporalia, similes sunt cõsiliarijs Regis Syriæ, qui dixerunt: [Dij montium sunt dij eorum, & ideo superauerunt nos, sed pugnamus contra eos in campestribus & in conuallibus, in quibus dij eorum dominium non habẽt, & obtinebimus contra eos, 3.Reg.20. sic hodie mali consiliarij adulatione pestifera seducunt Reges, & Principes terræ, dicentes, dij montium puta spiritualium bonorum sunt summi Pontifices, sed non, dij vallium, quia temporalium bonorum nullum dominium habent: ideo in campe-

stribus

stribus in potentiam scilicet bonorum temporalium pugnemus contra eos,& obtinebimus: sed quid eis dicat diuina sententia audiamus [Quia dixerunt, inquit, Syrij, Deus montium est Deus eorum,& non Deus vallium, dabo hanc multitudinem in manu vestra,& scietis, quia ego sum Dominus.] haec S. Antonin.

S. August. Triumphus in prin. summ. de potestat. eccles. ita inquit. Qnamuis Dei filius humani generis naturam assumens, infirma mundi elegerit, vt fortia quaeq. confunderet, ecclesiasticae tamen potestatis altitudinem suos fideles latere noluit: quinimo tanquam supra petram fundatam, ipsam esse supra omnem principatum, & potestatem, vt ei genua cuncta curuentur, coelestium, terrestrium, & infernorum, verbis apertissimis declarauit: Vnde error est pertinaci mente non credere Rom. Pontif. vniuersalis ecclesiae pastorem, Petri successorem, & Christi legitimum Vicarium super spiritualia,& temporalia, vniuersalem nō habere primatum: in quem quandoq. multi labuntur, dictae potestatis ignorantia, quae cum sit infinita, eo quod magnus dominus, & magna virtus eius, & magnitudinis eius non est finis, omnis creatus intellectus in eius perscrutatione inuenitur deficere, qui locus S. August. omnino videatur. — *S. August. Triūphus.*

Henricus Gandau. in quodlib. 6. qu. 23. ait: De iure diuino,& naturali sacerdotium supereminet imperio, & penes ipsum residet de iure diuino & naturali vtraque iurisdictio,& super spiritualia, & super temporalia, & similiter eius immediata executio: vnde etiam in lege temporis naturae simul ambo currebant regnum,& sacerdotium,& omnes primogeniti Regum, Sacerdotes erant & Reges, & iurisdictionem in temporalibus exercebant, vt fuse a nobis supra probatum est, etiam tempore legis scriptae: ergo. — *Henric. Gandau.*

Roderic. Sanc. Episc. Zamorensis lib. de orig. & differentia principatus, par. 1. ait, Nemo nisi Christus, vel eius Vicarius — *Roderic.*

carius

catius in terris dicere potest illud, quod Propheta de Christo dixerat Mihi inquit, alienigenæ subditi sunt, nam propter vniuersale eius dominium, nullus mortalium est ei alienus, & non subditus, quia scriptum est de eo, Data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra: & iterum omnes gentes seruient ei, & dominabitur a mari vsque ad mare, & iterum omnis terra possessio eius, & quia Summ. Pontif. vice Christi principatur in vniuerso orbe in spiritualibus & temporalibus, de eo etiam intelliguntur iura, auctoritates, & rationes supra alligatæ: & circa finem ait, est ergo tenendum naturaliter, moraliter, & diuino iure cum recta fide, principatum Roman. Pontif. esse verum, & vnicum immediatum principatum totius orbis, nedum quoad spiritualia, sed quoad temporalia: & principatum Imperialem esse ab ipso dependentem, & mediatum, ministralem, & instrumentalem, eidem subministrantem, & deseruientem, foreq. ab eo ordinatum, & institutum, & ad iussum principatus Papalis mobilem, reuocabilem, corrigibilem, & punibilem, &c.

Eiusdem sententiæ sunt etiam sequentes Doctores.

Ale. Ales. S. Bonau. Hugo de S. Victo. Petr. de Tar. S. Ber nar. Mair.

Alex. Alens. 4. p. sum. qu. 10. p. 2. §. 2. Hug. de S. Vict. lib. 2. p. 2. c. 4. S. Bona. in 4. dist. 37. in expos. lit. dub. 4. lib. de eccl. Hier. p. 2. affirmans idem sentire Vbert. de Casai. & Pet. de Tarant. idem tradunt etiam Rainer. Pis. in sua Sum. ver. dominio, c. 5. B. Ioan. à Capistr. tract. de aucto. Papæ, par. 1. secundæ par. nu. 4. & 5. Gabr. Biel. in expos. can. lect. 23. Egid. Rom. lib. de potest. eccl. c. 7. Alex. de S. Elpid. lib. eod. c. 6. Iaco. de Viter. Guliel. Cremo. S. Bern. lib. 4. de consid. ad Eug. Aluer. Pelag. de planct. eccles. c. 13. Silu. Prier. in sum. v. Papa. §. 11. & v. Ioan. Selest. in quadr. p. 1. Tartaretus in 4. d. 13. q. vn. Naclam. lib. de potest. Pap. Franc. Maironus cognominatus D. Illuminatus, in 4. d. 19. q. 4. Franc. de Silu. Ferrar. in c. 76. lib. 4. aduer. gent. nuperrime vero Cels. Manc. in tract. de iurib. principatum

lib.

lib. 3. cap. 1. & 2.

Ex his patet nostram conclusionem esse communem sententiam Theologorum.

Secundo probatur conclusio ex communi testimonio Canonistarũ, & quia tediosũ est omnes recẽsere, lege Lel. Zecch. in tractatibus Theologicis loco quinto, Card. Bell. de potestat. Pontif. lib. 5. c. 1. Abb. in c. nouit, extra de iudic. & Bart. in l. 1. §. 1. ff. de requi. reis. *Probatur cõclusio ex communi sententia canonistarum.*

Istorum autem probatio desumitur, primo ex loco Deuter. relato in c. per venerabilem, qui fil. sint legi. cuius hæc sunt verba: *Si difficile, & ambiguum apud te iudicium esse perspexeris inter sanguinem & sanguinem, causam & causam, lepram & lepram, & iudicium videris variari, venies ad Sacerdotes Leuiticis generis, & ad iudicem, qui fuerit illo tempore, qui iudicabunt tibi iudicij veritatem, & facie quæcunq. dixerunt qui præsunt loco, quem elegerit Dominus, sequerisque eorum sententiam: qui autem superbierit nolens obedire Sacerdotis imperio, morietur, &c.* etsi hoc obseruabatur in veteri testamento, multo magis debet in nouo, cum dictum sit Petro a Domino, *quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum in cœlis.* Confirmatur ex cap. solitæ, de maior. & obed. vbi Innoc. III. sic ait: in firmamento cœli, hoc est vniuersalis ecclesiæ, fecit Deus duo luminaria magna, idest duas instituit dignitates, quæ sunt Pontificalis, & regalis, harum, quæ præest diebus spiritualibus, maior est, ac dignior ea, quæ temporalibus præficitur, vt quanta est inter solem, & lunam, tanta inter Papam, & Imperatorem cognoscatur differentia.

Ex his formo hanc rationem, ea est proportio inter summum Pontificem, & Imperatorem, quæ est inter solem, & lunam, ex textu citato, sed sol præstantior est, & eminentior Luna, & hæc ab illo mutuat splendorem, & lucem, ergo Papa est eminentior Imperatore, & Imperatoris auctoritas a summo Pontifice pendet:

G D I-

DISPVTATIO III.

Sententia Auctoris ex rationibus diuturna consuetudine approbata, & exemplis multorum Pontificum Romanorum.



ERTIO probatur conclusio ratione ex vnitate primi principij, nam inferiora regulari debent ad instar superiorum, cum ad imaginem Dei creati simus, c. hæc imago, 33. q. 5. sed sicut in supernis vnus est Deus, c. 1. & c. damnatus de sum. Trin. ita & in terris debet esse vnus Dei Vicarius: at hic Vicariatus non Cæsari, sed Pontifici Romano est traditus, c. quanto, de transl. ergo ipse Pontifex solus est Dei Vicarius, cui cuncta temporalia, & spiritualia subsunt: & confirmatur auctoritate, nam c. omnes, 22. dist. dicitur, quod vniuersalis iurisdictio omnium spiritualium & temporalium Petro, suisque successoribus collata fuit, ergo.

Probatur conclusio ex consuetudine diuturna approbata.

Papa ad libitum disponit de Imperio, et Regnis vt patet ex multis exemplis.

Quarto, ex diuturna consuetudine approbata: nam post Christi incarnationem, & Principis mundi per Christi eiectionem, Principes eorum potestatem à summis Pontificibus recipere consueuerunt, vt in eorum coronatione, & consecratione fidelitatisq. præstito iuramento apparet, c. tibi, & cap. ego Rex Otho, 63. d. Consuetudo autem ius præbet, c. quanto, de transl. quare in omnibus Imperator Pontifici Romano subest: & ideo de imperio ad libitum disponit, cum ipsum in Germanos de Græcis transtulerit, c. per venerab. de elect. & Reges, & Imperatores Papa deponit, c. aliud, 15. q. 6. quod facere non posset, nisi subiecti essent.

Præ-

Præterea Episcopi, vel ab ipso delecti, vel confirmati ipsos Reges creant, Reges eligunt, & ius regnandi eis dant legitimum, & plenum.

Notissimum namq. est in creandis Germaniæ, Hungariæ, Boemiæ; Poloniæq. Regibus maximis, Primas esse episcopos.

Notissimum etiam est, Reges Galliæ, Angliæ, Scotiæ, Daniæ, Sueuiæ, nisi vngerentur, & coronarentur ab Episcopis, non fuisse omnino pro Regibus habitos, vt aperuit Tho. Bozius signo 76. de admiran. sacræ potesta. progressione, lib. 17.

Hæc enim adeo vera sunt, vt cum Galliarum Rex vngitur ab Archiepiscopo Remensii is accipiat baculum, dicatq. per illum se dare Galliæ principatum Regi, propter ius, quod Hormisdas Papa S. Remigio dedit, asseuerans ad se in primis eligendi Regis potestatem pertinere, quæ refert Papir. Masson. Gallicus in vita Henrici I. rursus ad Pontificiam potestatem spectat, nomen Regis Principibus attribuere, nam quod Hungariæ Rex appelletur, est a Pont. Romano Stephano concessum, ex Bonfinio, quod Poloniæ, a Ioan. 22. ex Cromerio, quod Portugalliæ, ab Euge. III. & Roder. quod Scotiæ Rex vocetur, ab Vrbano II. earum regionum ducibus est indultum, vt refert Kislæus. *Vntio Regis Galliæ.*

Notissimum quoque est Gregorio V. tempore Othonis Imperatoris dedisse ius eligendi Imperatorem septem principibus Germaniæ, videlicet Archiepiscopo Coloniensi, Maguntino, & Triuerensi, & quatuor laicis, scilicet, Regi Boemiæ, Duci Saxoniæ, Marchioni Brandeburg. & Comiti Palatino, reseruauit tamen sibi auctoritatem examinandi electionem, & approbandi eam, vt petet ex c. per venerabil. de elect. vbi Papa ait, ius & auctoritas examinandi personam electam in Regem, & promouere ad Imperium ad nos spectat, qui eum vngimus, & consacramus, ergo. *Greg. V. dedit ius eligendi Imperatorē 7. princip Germaniæ.*

Primo. Obijciunt aduersarij in lege veteri Rex iudica- *1. Obiect.*

bat, & deponebat Pontificem, nam Salomon 3. Reg. 2. *Deposuit Abiathar, & in eius locum constituit Sadoch*, ergo pari ratione in nouo Testamento Christiani Imperatoris munus erit, Christianum Pontificem iudicare, quod etiam re ipsa Imperatores sæpe iudicauerunt, & deposuerunt Pontifices, vt Constantinus in exilium misit Liberium Papam, Iustinianus Siluerium, Theodoricus Rex Ioannẽ I. in carcerem coniecit, Otho I. Ioãnẽ XI. deposuit, & Leonẽ VIII. substituit, Henricus III. Gregorium VIII. deposuit, & Clementem II. ordinari iussit: de quibus omnibus plenæ sunt historiæ, ergo Papa non est supra Imperatorẽ, sed Imperator supra Papam.

Respond. Respondeo ad locum Scripturæ, primo, quod Rex intromittendo se in veteri testamento de iurisdictione super Sacerdotes, non intromittebat se de iurisdictione aliena, quia in veteri Testamento vtraque iurisdictio erat in Rege, & ideo super sacerdotes habebat potestatem, ita Tostat. super c. 12. 4. Reg. q. 8.

Secundo respondeo, Salomonem id fecisse non vt Regem, sed vt Prophetam, & diuinæ iustitiæ executorem, vt patet ex tex. cum dicitur, *vt adimpleretur sermo Domini.*

Ad exempla vero hæc, respondeo quidem facta esse, sed quo iure, ipsi viderint, certe Liberium iniuste pulsum in exilium testatur Athanas. in epist. ad solitariam vitam agentes: idem de Siluerio Liberatus in Breuiario c. 22. De Ioanne I. B. Gregor. lib. 4. dialog. c. 30. & certum est Cõstantium, & Theodoricum fuisse Arrianos, Iustinianum Eutechinianistam, & ita tirannico iure deposuerunt Pontifices. Ab Othone I. Imperatore satis constat bono zelo, sed non secundum scientiam depositũ esse Ioannem XII. vt Otho Frisigensis lib. 6. c. 23. vbi hanc historiam exposuit modeste, Imperatorem taxat, de Henrico dico, vt patet ex eodem Othone Frisigensi lib. 6. c. 32. Imperator Gregorium nõ deposuit, sed vt cederet, illi persuasit, quia

ingressus

ingressus simoniace videbatur, illo vero sponte cedente, Clemens electus fuit.

Quinto probatur conclusio exemplis.

Primum exemplum est Paralip. 26. vbi legimus Oziam Regem cum Sacerdotum officium vsurparet a Pontifice fuisse de templo eiectum, & ex sacerdotis sententia vrbe, & regni administratione priuatus fuit, ergo. *Probatur conclusio exemplis.* *1. exempl.*

Secundum exemplum est 2. Paralip. 23. vbi cum Athalia tirannice regnum occupasset, Ioiada Pontifex eum interfici mandauit, & pro ea Ioas Regem creauit 2. Paralip. 23. *2. exempl.*

Tertium exemplum est Zachariæ, qui rogatus a Primatibus Francorum Childericum deposuit, & in eius locum Pipinum Caroli Magni patrem Regem creari iussit: ita Cedrenus in vita Leonis Isauri, Paulus Diaconus lib. 4. c. 5. de gestis Longobardorum, ergo. *3. exempl. Papa Zacharias creduit Pipinum in Rege Gallia.*

Quartum exemplum est Leonis III. qui Imperium transtulit a Græcis in Germanos, propterea quod Græci nullum auxilium laboranti ecclesiæ Occidentali adferre possent: ita Innocent. in cap. venerabilem de elect. *4 exempl.*

Quintum exemplum est Gregor. V. qui sanctionem de Imperatore eligẽdo per septem Germaniæ Principes, quæ vsque ad hanc diem seruatur, edidit. *5 exempl.*

Sextum est Gregorij VII. qui Henricum IV. Imperatorem deposuit, & alium eligi iussit. *6 exempl.*

Septimum est Innocentij III. qui Othonem deposuit ex Blondo, decad. 2. lib. 6. *7 exempl.*

Octauum est Innocentij IV. qui in Concilio generali Lugdunensi Federicum II. deposuit; & tunc Imperium annis 27. vacauit, ex cap. ad apostolicæ, de senten. & re iud. lib. 6. *8 exempl.*

Nonum est Clementis VI. qui Ludouicum VI. Imperatorem deposuit, ita Pighyus lib. Hierarch. Ecclesiast. c. 14. & 15. *9 exempl.*

10 Exēpl. Decimum exemplum eſt Alexandri VI. qui orbem terrarum partitus fuit, Incolaſque noui orbis Ferdinando Aragonum Regi, eiuſque hæredibus, & ſucceſſoribu- donauit, conceſſit, & aſſignauit, vt pontificio deplomate patet, ergo.

DISPVTATIO IV.

Soluuntur omnes obiectiones aduerſariorum.

1. Obiect. 1 BIICIVNT aduerſarij; Papa a Constantino ſceptrum bona ac diadema accepit, c. Conſtantinus, 96. diſt. ego Imperator in temporalibus non dependet a Papa, ſed Papa ab eo, & à Papa deponi non poteſt.

Reſpondetur. Reſpondeo primo, ſanctionem illam Pontificiam inter paleas numerari a iuris Pontificij Doctoribus; verum dico, caput illud tantum abeſſe, vt noſtrã demoliatur ſentẽtiam, quod magis illam roborat, atque confirmat, nam ex illo patet non fuiſſe datam ab Imperatore poteſtatem, ſed potius id, quo illam Papa exercere poſſet. Quis enim dixerit primatum ſuper omnes ſedes apicem ſacerdotalem, ac ius decernendi ab Imperatore Chriſti Vicario donari poſſe; nam hæc a Chriſto Petrus, eiuſque ſucceſſores acceperunt; eſt ergo intelligẽdum illud c. quod Imperator propria auctoritate, ac viribus tanquam Chriſti miles, & tutor Eccleſiæ, quid a populis Chriſtianis ſit faciendum, declaret, ad quæ exequenda quantum illius patiuntur vires, omnibus imperet.

Secundo reſpondeo donationem illam fuiſſe poſſeſſionis aſſignationem bonorum, ac rerum, in quibus Chriſti Vicarius iuriſdictionem exercere poterat, bonaq. illa fuiſ-

ſe

ſe donata,non autem regiam poteſtatem.

3 Obijciunt huiuſmodi donationem non valere,quia in præiudicium Cæſaris ſucceſſoris fieri non potuit. 3.Obiect.

Reſpondeo,id verum eſſe,quando in donatione ſubtrahitur ſucceſſori,quod ei iure debetur, non autem quando redditur alteri,quod ſibi erat ablatum:Conſtantinus ergo quia reddidit eccleſiæ,& Chriſti Vicario illa, quæ ab ipſo receperat,& in abuſum ex tirannica poteſtate diu tenuerat infernali Principi, & idolis ſeruiendo, ideo illa donatio,redditio cenſetur,cum enim Domini eſt terra,& plenitudo eius,& per conſequens Papæ ſui Vicarij. Reſpondetur. Donatio Conſtantini Imperatoris.

Hinc Gregorius Papa, in donatione multorum oliuetorum facta B.Petro,& ſculpta in marmore in Baſilica S.Petri dicit ſe potius reddere, quam donare dicta oliueta B.Petro,& Paulo. Donatio Gregorii Papæ.

Idipſum eſt in tabulis donationis Ludouici, quod Pipinus,& Carolus Exarchatum Rauennæ, per donationis paginam reſtituerunt,vt aperte Eginarthus in Caroli Magni cuius Scriba ipſe erat,vita tradidit. Vel deniq. cum Turrecrem. ſumm.de Eccleſ. lib.2. cap.41. dicamus,quod Papa dominium temporale habet immediate a Deo,Matt.16. Donatio Ludouici, Pipini & Caroli Magni Imp.

4 Obijciũt,Matt.22.Chriſtus dixit Apoſtolis & Petro *Reges gentium dominãtur eorum,& qui poteſtatem exercent inter eos benefici vocantur; vos autem non ſic.* Reſpondeo vos autem non ſic,ſcilicet ne vos animo illo dominemini,quo Reges,& Principis gentium dominãtur, ideſt propter inanem gloriam, faſtum, propriam vtilitatem, &c.ergo illis verbis non aboletur dominium abſolute,ſed peruerſus dominandi modus prohibetur, Item Reges gentium,ideſt, cũ tiranni ſint, vocari tamen volunt benefici, vos autem non ſic. 4.Obiect. Reſpond.

5 Obijciunt Ioan.19.Chriſtus Imperatoriam poteſtatem ſupra ſe agnouit,cum ait Pilato, *Non haberes poteſtatem in me vllam:niſi tibi datum eſſet de ſuper*,ergo ,& Papa. 5.Obiect. Reſpond.

Reſpon-

Respond. Respondeo, Christum sine dubio, cum esset Deus nemini de iure fuisse subiectum, sed tantum sponte se Pilati iudicio propter nos subiecisse, non committendo ei aliquam auctoritatem super se, sed eam humiliter tolerando, quam de facto, non de iure habuit; vt paret ex Matt. 7. cum rogatus tributum primum se non teneri docuit, & deinde propter scandalum dari iussit, vt supra diximus.

6. obiect. 6 Obijciunt Paul. Act. 25. Cæsarem appellauit, *ad tribunal*, inquit *Cæsaris sto ibi, me oportet iudicari*, & infra *Cæsarem appello*: si Paulus Cæsarem iudicem agnouit, certa etiã Petrus, ergo.

Respond. Respondeo, Paulum ad Cæsarem appellasse, quia de facto, & si non de iure ipsius iudex erat.

Vltimo notãdum est pro exacta huius rei notitia, quod potestas triplex est: prima immediata, secunda deriuata, tertia in ministerium data: prima est in solo Papa: secunda in omnibus episcopis, & prælatis: tertia in Imperatore, Regibus, & Principibus sæcularibus, qui iurisdictionem super talia à Deo, mediante Papa accipiunt, in cuius signum, ei fidelitatis iuramentum præstant.

Si plura desideras de hac re lege Tho. Bozium de Ruinis gent. & Reg lib. 2. qui doctissime hanc nostram sententiam comprobat, primo diuinæ scripturæ testimonijs, secundo, assertione Platonis, & Arist. tertio, argumentis moralibus: quarto politicis: quinto naturalibus: sexto, metaphysicis: septimo certissimis euentibus priuatis, & publicis octauo quotidianis experimentis: nono extraordinarijs vltionibus diuinitus immissis speciali Dei prouidentia: decimo assertione historicorum; & demum omnium rerum naturalium quodam consensu.

Hæc sunt quæ ex vtraque parte de immunitate ecclesiastica & auctoritate temporali summi Pontificis a Theologis, & Canonistis disputantur.

FINIS.

INDEX DISPVTATIONVM.

QVAE IN HOC TRACTATV CONTINENTVR.

Vtrum

Eccle-

F I N I S.

ASCANII TORRII THEOLOGI ROMANI

Pro

LIBERTATE ECCLESIASTICA AD GALLOFRANCVM APOLOGIA.



R O M AE,

Apud Bartholomaeum Zannettum. M.D.CVII.


SVPERIORVM PERMISSV.

Imprimatur si placet R.P.M. Sac. Palatij.
B. Episc. Arim. Vicesg.

Imprimatur. Fr. Paulus de Francis de Neap. Magister & Socius R. P. Magistri Sac. Pal. Apost.

ASCANIVS TORRIVS GALLOFRANCO.





AMETSI tuam, Gallofrance, in Venetorum cauſa diligentiam ſingulari cum eruditione coniunctam, quod Eccleſiaſticam libertatem oppugnet, probare omnino non poſſum, hactenus tamen laudo, quod non, vt plerique alij, priſtinæ, atque auitæ religionis decreta, neque catholicorum dogmatum ipſa propemodum fundamenta compellis, & modeſtam defenſionem, cum pia, & ſalutari adhortatione coniungis. Facis tu quidem, quod amicos, & (vt ipſe loqueris) fœderatos defendis, beneuole, quod diſputationem tuam, non vulgari ſcientia, doctrinaq. confirmas, ſapienter, quod ea, quæ dicis ornata, & perpolita oratione explicas, diſerte, quod neminem aculeato, nedum contumelioſo dicendi genere perſtringis, modeſte. Quibus ego rebus, cum mirifice ſum delectatus, tum incredibiliter dolui, te eius cauſſæ patrocinium ſuſcepiſſe, quam Eccleſiaſtico iudicio, olim ſæpius damnatam, & nuper, à S.D.N. Paulo V. dira execratione iugulatam, nemo catholicus, ſaluo iure, non dicam tueri, ſed non magnopere improbare poteſt. Itaque ſtatui, meam tibi hac de re ſententiam paucis, amiceq. indicare, vnaq. ad ea, quæ tu aduerſus Pontificiam cen-

ſuram obijcis, quam breuiſſime reſpondere; vt (quod tua indoles ingenij, pene certo polliceri videtur) rationum momentis plane perſpectis, in viam redeas, à qua nonnihil deflexiſſe videris: & qua vales dicendi copia, docendiq. facultate, communes amicos moneas, vt ſupremum Chriſtianorum parentem, & Chriſti Vicarium, agnoſcant, & venerentur, eiq. quam catholica fides, & Chriſtiana pietas flagitat, obedientiam præſtent. Ita fiet, vt ſuam illi libertatem, Eccleſiaſticæ diſciplinæ ſubiecti, ſartam tectam tueantur, Italiæ pacem, & tranquillitatem conſeruent, priſtinam ſuæ orthodoxæ fidei, ac religionis integritatem præſeferant, Chriſtianiſſimos, & catholicos Principes imitentur, Apoſtolicæ denique Sedis, optimiq. Pontificis benignitatem, ac beneuolentiam demereantur.

Prætermiſſa autem tua præfatione, in qua gliſcentibus malis, φάρμακον σοφώτατον promittis, ac ſpondes, & orationis lenitate, qualemcumq. atrocitatem ſubducere, ac veluti panchreſto medicamento, laborantes animos reficere, ac recreare te poſſe profiteris, tuam omnem diſputationem, in tria veluti capita diſtribuo, quibus ternas Venetorum leges ſuſcipis defendendas. Feres autem, opinor, æquo animo, vt iſtam tuam de re grauiſſima ſententiam, nonnullis Francogallis, eiſdemq. orthodoxis, vtcumque probari non negem, omnibus vero, vel etiam plurimis, certans videri neutiquam tibi concedam. Sic enim habeto, ne apud Venetos quidem, quorum maxime intereſt, omnibus ea videri, non dicam iure, ſed ſatis prudenter acta, quæ per hoſce dies, aut vſurpata ſunt, aut

aut vulgo iactata, aut pro concione proposita, aut typis excusa, sed contra potius magnam bonorum partem, Apostolicæ sententiæ æquitatem agnoscere, & leges sacris canonibus repugnantes, & Ecclesiasticæ libertati aduersas, merito fuisse damnatas, non ire inficias. Quamquam autem de Tertulliano, quem in Romanum Pontificem acriorem, & in Principes liberiorem fuisse scribis, non tibi prorsus assentior, quia tamen id ad caussam nihil pertinet, libens præteribo. Antequam autem ea dico, quæ causa postulat, indicabo breuiter pauca quædam, quæ tibi per imprudentiam excidisse videntur.

1 Principio igitur pag. 4. affers ex D. Gregorio verba quædam, quæ leguntur apud [a] Gratianum, sed non animaduertisti falso tribui Gregorio, cum reuera sint Isidori, vt melius obseruauit Burchardus. *a 11. q. 3. c. quatuor.*

2 Pag. 5. recitas verba [b] Irenæi, sed nescio quo iure multa de tuo addis, quæ apud Irenæum non leguntur. Minus autem apte colligis, Principes esse à Deo quia non sint à Dæmone, quasi non sint prope innumerabilia, quæ neque Deo, neque Dæmone auctore, sed hominum solum opera perficiuntur. Dixit quidem Irenæus mentitum esse Dæmonem, qui sibi imperia partiendi ius, atque auctoritatem arrogauerit; quippe id esse diuinæ prouidentiæ eximium & singulare munus, sed illam argumentandi formam, quam tu indicas, nullo modo attigit. *b lib. 5. c. 24.*

3 Ibidem ais Regem, nullum agnoscere superiorem in temporalibus, præter supremum illum Monarcham Deum. At [c] Innocentius, qui ab isto dicendi modo non abhorret, Principes, ait, præter Roma- *c c. per venerabil. qui fil. sint legit.*

nos

nos Pontifices, inter homines superiorem non habere. Non igitur solum Deum excipere debuisti, cum præsertim ad sententiam Innocentij, communis [a] Theologorum consensus accedat.

4 Paulo post, & initio pag. 6. doces legem amortizationis iure Regio niti, atque adeo omnibus Principibus vi, ac iure summi imperij esse communem, & tamen pag. 9. ex tuo Seruino probas, illam ortum habuisse ex fiduciario, aut emphyteutico, alioue persimili iure, quo prædia obstringuntur, quod planius infra suo loco probabo.

5 Pag. 6. interpretaris c. istud [b] est. quasi damnet quod [c] c. pudenda. probari videbatur, cum tamen nihil minus faciat Pontifex, sed potius conqueratur consuetudinem, quæ c. pudenda. admittitur, non fuisse ab Episcopo schismatico seruatam. Et quod magis mirandum est, tu ipse pag. 15. vltro fateris duos illos canones, inter se non pugnare, cum reuera in vtroque canone Pontifex, quod contra receptam consuetudinem actum erat, grauiter reprehendat, & damnet.

6 Ibidem in fine perperam [d] verba Pauli recitas, & pleraque ex ingenio addis prorsus extra rem, & male omnino colligis, Rom. Pontificem in causa Mediolanensis, & Aquileiensis Episcoporum, non fuisse curiosum, cum tamen non solum in consuetudine, quæ exprimitur in c. [e] pudenda, sed etiam in eius violatione, cuius eodem loco & in c. istud est. mentio fit, suam interposuerit auctoritatem.

7 Pag. 7. nescio quo auctore affirmas, Synodum Aquileiensem à Gratiano Imp. indictam esse; cum tamen [f] certum sit, numquam Imperatores Synodos

pio

a D. Tho. 4. cont. Gét. c. 76. lib. 3. de regim. Princ. c. 19. Durand. de orig. iurisd. q. 1. & 3. Eru. de potest. Papæ. §. ad euidentiā secundi. Palud. de potest. eccles. a. 4. §. sed quia Papa. & a. 5. in fine. Valden. lib. 2. doctrin. fid. a. 3. c. 76. 77. 78. Turrecr. lib. 2. de eccl. à c. 113. ad finem. Caiet. in Apol. c. 13. Victor. relect. 1. de potest. eccles. Sot. in 4. d. 25. q. 2. a. 1. Nicol. Sander. lib. 2. de visib. monarch. c. 4. Alber. Pigh. lib. 5. de eccles. hierar. contr. 16. Franc. Mairon. in 4. d. 19. Panor. & Nauar. c. nouit. de iudic.

b 11. q. 1.

c 24. q. 1.

d 2. ad Cor. c. 11.

e 24. q. 1.

f Turrecr. lib. 3. de eccles. c. 8. Bellarm. lib. 1. de concil. c. 12. 13.

pio imperio indixisse; quamuis Ecclesiastica auctoritate indictas, suo patrocinio fouerint, idq. plerumque Episcopi magnificentius prædicent, qui vel Imperatoribus gratias agunt, quod Synodos conuocarint, vel eorum edicto, atque euocatione se conuenisse affirmant. Imperatores enim Romanorum Pontificum iussa promulgabant, & qua plurimum valebant auctoritate promouebant.

8 Ibidem falso Ambrosij Mediolanensis verba, in alienissimum sensum trahis, quasi Damasum Pontificem à Synodo excludere voluerit; cum tamen omnis eius oratio ad Orientalium absentiam excusandam, tamquam minus necessariam pertineret, idq. aduersus Palladium tumultuantem, & venerabilium virorum fatigationi parcendum esse contenderet.

9 In fine eiusdem pag. cum multos recentiores auctores nominas, tum ais Iacobum Capellum, Aduocatum Regium, qui libellum suum Francisco I. obtulit, vixisse ætate Philippi Valesij, qui ante annos quinquaginta supra CC. obijt, quod non solum mirum, sed plane incredibile videatur: quod ipsum de alijs nonnullis, quos ibidem laudas, possumus affirmare, si præsertim ijs annumeres Ludouicum Seruinum adhuc superstitem.

10 Pag. 10. [a] Augustini verba recitas ab [b] Iuone Carnotensi magnopere laudata; sed nescio cur tibi in mentem venerit, non modo ea aliorsum trahere, sed non pauca addere, quæ Augustinus ne somniauit quidem. Sed nec Iuo vllo modo addenda censuit.

a *Tract. 6. in Ioan.*
b *Par. 3. c. 194.*

11 Ibidem contra omnes [c] Canones affirmas, Templorum dedicationes Principum auctoritate, & ciui-

c De *consecr. d. 1. c. de locorum. c. præcepta. c. basilicas. c. ecclesia. c. nemo. toto tit. de Eccles. ædificand. c. auctoritate. de priuil. in 6.*

lium

lium Magistratuum opera fieri consueuisse, quo inter Christianos nihil dici potest absurdius; ac ne inter Gentiles quidem, qui non nisi Pontifice solemnibus verbis præeunte, ac postem tenente, ædes consecrabãt.

12 Eadem pag. in fine, peruerse omnino sequutus Balsamonem, Concilij [a] Chalcedonensis canonem explicas, perinde quasi ius aliquod tribuat Imperatori in res sacras, & Ecclesiasticas, cum ipsa verba Concilij nihil minus significent: sic enim loquuntur Patres. *Si qua ciuitas Imperatoria auctoritate innouata est, vel deinceps innouabitur, ciuiles, & publicas rationes, Ecclesiasticarum quoque Parochiarum ordo consequatur.* An quia Parœcias, aut instituat, aut distribuat Imperator? Apage vt istud quisquam catholicus suspicetur; cum olim [b] Innocentius ad Alexandrum Episcopum aperte definierit, honores, ac dignitates Ecclesiasticas, Imperatoris arbitrio neque instituendas, neque mutandas esse.

[a] Can. 17.

[b] Ep. 18. c. 2.

13 Pag. 11. verba quædam profers ex iure ciuili ff. de colleg. & corporib. quæ nusquam eo loco legũtur.

14 Pag. 13. historias Pauli Samosateni, & Athanasij, non bona fide narras, vt suo loco planius docebo. quod ipsum facis pag. 14. in historia Timothei Aeluri.

15 Pag. 14. in fine, falso scribis Ioannem Pap. probasse Iustiniani nouellas, quas ne videre quidem potuit, quippe post eius mortem editas.

16 Pag. 15. in fine, temere, quæ sub Rege Chilperico in caussis, ac personis Ecclesiasticis gesta sunt, priuilegio Principis, non iure canonico facta fuisse scribis.

17 Pag.

17 Pag. 16. ſine vllo auctore, aut probabili ratione, quæ Rege Chriſtianiſſimo in iſto Regno licent, omnibus Principibus, qui ius habent ſummæ poteſtatis, communia eſſe contendis; cum, vt [a] auctores veſtri affirmant, multa Chriſtianiſſimis Regibus Eccleſiaſtico priuilegio liceant, quæ non facile poſſunt ad alios Principes transferri.

a Ioan. Ferarl. de priuil. Reg. Frãc. c.29. Guido Papa, deciſ. 1. Petr. Gregor. 3. p. Syntag. iuris lib. 47. c. 21. n. 25.

18 Pag. 18. Epiſtola [b] Petri Bleſen. Richardi Cantuatien. nomine ſcriptam, aduerſus eos, qui Sacerdotes, aut Epiſcopos perimunt, peruerſe accipis, quaſi contra Sacerdotes, & Epiſcopos homicidas diſputet; cum in eos apertiſſime inuehatur, qui Sacerdotes, aut Epiſcopos occidunt, atque iccirco incidunt in cenſuram Eccleſiaſticam, & egent abſolutione Apoſtolica.

b Ep. 73.

19 Pag. 20. quæſtiones mixtas, quas vocas, falſo tribuis [c] Auguſtino, cum Doctorum conſenſu ſint hæretici cuiuspiam imperiti, plurimaq. contineant abſurda, & fidei catholicæ aduerſa.

c q. 104.

20 Ibidem in fine, acriter inueheris in eos, qui verbis illis diuinitus Petro [d] dictis; Occide & manduca. duplex Petri munus comprehendi dixerunt: at Gallofrance, auctores habet ea ſententia [e] Origenem, [f] Ambroſium, [g] Auguſtinum, [h] Gregorium, [i] Bernardum.

d Act. 11.
e Hom. 7. in leuit.
f Serm. 67. qui eſt 2. de nat. apoſt.
g Serm. 26. de diuerſ. c. 7.
h lib. 18. moral. c. 20. alias 22.
i lib. 4. ad Eugen.

21 Pag. 22. parum modeſtè Eccleſiaſticum priuilegium appellari poſſe dicis, prauilegium.

22 Ibidem negas Principum poteſtatem ab vllo mortalium conuelli, aut abrogari poſſe, cum tamen ſecus in permultis videamus accidere; ijs præſertim, qui populi ſuffragijs promouentur ad Regna.

Hæc ſunt Gallofrance, quæ tibi ſeorſim viſa ſunt

 indi-

indicanda, antequam ad tuam disputationem expendendam accedam. Quoniam vero in Seruini tui verba iurasse videris, subijciam pauca quædam, quæ non satis caute in illo laudasti.

1 Pag. 8. Ex libro vindiciarum, bene longam disputationem exscribis, in qua ille Valentiniani, Valentis, & Gratiani legem parum fideliter explicat; perinde quasi vniuersim prohibeat clericis bonorum hæreditates, ijs exceptis, quæ iure ciuili, vel edicti beneficio, ob sanguinis propinquitatem deberentur; cum tamen ea lex de viduarum, & pupillarum hæreditatibus dumtaxat loquatur, ob eam præcipue caussam, quam suo loco explicabo.

2 Ibidem falso affirmat, duriorem fuisse in Gallia legem, qua clericis prædia possidere non licuerit, idq. Sidonij Apollinaris testimonio confirmat; cum tamen Capitularia [a] Franciæ, multo aliter optimos, ac religiosissimos Reges, & sensisse, & statuisse doceant. Neque eum quidquam Sidonius [b] iuuat, cum enim ille solo patrio (sic enim loquitur) exactus, peregrini incommoda, & damna proscripti pateretur, Faustum Regien. Episcop. obsecrat, vt sibi à Deo impetret Leuitarum conditionem, vt videlicet immortalia dumtaxat bona, & sempiternam fœlicitatem spectet, quando terrenis bonis necessario carere cogebatur. Quo sane loco spectauit Sidonius, non vllam humanam legem, quæ bonorum possessione clericos spoliet, sed Leuitarum conditionem optat, quibus cælestia, atque diuina quærenda, & expetenda erant. Nam si istius Regni lege, clerici quicquam possidere prohibebantur, cur Sidonius [c] ipse Vindicium, Petronio commen-

a lib. 7. c. 104. 105

b lib. 9. Ep. 3.

c lib. 5 Ep. 1.

men-

mendat, qui *patrueli paterno cælibi, intestatoq. defuncto, per agnationis prærogatiuam, succedere parabat?* Cur [a] alibi conqueritur, nihil se *de hæreditate sociali,* (vt ipsius verbis vtar) *vel in vsum tertiæ sub pretio medietatis,* obtinere potuisse? Cur item [b] alio loco prædiolum Ecclesiæ suæ collatum esse gratulatur? a *lib.8.Ep.9.* b *lib.3.de prouid.*

3 Eadem pag. Saluiani [c] Massilien. verba, peruersa interpretatione corrumpit; cum ille apertissime doceat idem quod [d] Augustinus, qui hæreditatis partem Christo, & Ecclesiæ tribuendam esse affirmat. c *lib.3.Ep.1.* d *Serm.49.50. de diuers.*

4 Ibidem omnino male Hilarij Arelaten. & Paulini in augendo Ecclesiastico patrimonio diligentiam, regum priuilegio, & amortizationis lege defendit, vt suo loco planius ostendam.

5 Pag. 19. ex [e] Nicephoro conatur ostendere, Ecclesiastica iudicia ad laicos pertinuisse; cum tamen illo ipso exemplo Episcopi Troados, contrarium probetur. Quamquam enim Episcopus ille laicum hominem, litib. decidendis, sibi Vicarium suffecit, non tamen à se iurisdictionem abdicauit, sed eam (quod iure potuit) iusta aliqua de causa, homini laico permisit. e *lib.14.c.39.*

6 Ibidem carpit [f] Bonifacij VIII. interpretationẽ, de duobus gladijs, quam quoniam ipse multorum Sanctorum testimonijs impugnas, suo loco defendam. Hæc interim placuit breuiter perstringere, vt intelligas quem tibi magistrum, & patronum delegeris. Venio nunc ad præcipua tuæ defensionis capita. f *Extrau. vnam sanctam. de maior. & obedient.*

In primo igitur, Venetorum legem suscipis defendendam, plurimorum Pontificum sententia, & innumerabilium propemodum canonũ auctoritate, dam-

natam, quæ immobilium bonorum possessionem, clericis interdicit. Sumis autem, auctore [a] Irenæo, Reges esse à Deo institutos, atque idcirco, Dei gratia Reges appellari; vnde colligis soli Deo subesse, ab eoq. duntaxat pendere, cum tamen [b] Iustinianus ex Iurisconsulti [c] sententia, populo suam omnem auctoritatem acceptam referat, *sed & quod Principi placuit, legis (inquit) habet vigorem, quia populus lege Regia, quæ de eius imperio lata est, ei, & in eum omnem suam auctoritatem, & iurisdictionem transtulit.* Vides Imperatoris auctoritatem, non à Deo solo (vt tu vis) sed etiam à populo pendere? Addo quod [d] Seneca, prouocationem, ait, ad populum, etiam à Regib. fuisse: quod ipsum confirmat Liuius, [e] Tulli Hostilij Regis exemplo. Christianos autem Principes Pontifici subesse, ab eoq. magna ex parte pendere, communi [f] catholicorum consensu receptum est. Quin etiam veteres [g] Theologi, hanc Pontificiam potestatem tam ample definiunt, vt eas omnes actiones, illi subijciant, quibus fideles beatam vitam assequi se posse sperant, adduntq. in isto Christianissimo Regno, pro Regum summa pietate, ac religione liberius, quam vsquam alibi, vim suam exercuisse. Nec tamen abnuerim quod [h] Apostolus affirmat, multoq. antea docuerat [i] Salomon, Omnem potestatem, & Regum, ac Principum auctoritatem, à Deo rerum omnium opifice profectam esse, sed nego (quod video tibi cum multis esse commune) ab illo proxime, nullaq. interiecta causa fuisse institutam, multoq. minus probo (quod ipse priuatim addis) Regem Francorum, proxime, & (vt ipse loqueris) immediate, suum diadema, suum sceptrum,

a lib. 5. c. 24.

b Inst. de iure natur. gent. & ciu. §. sed & quod Principi.

c l. 1. ff. de constit.

d Ep. 108. vltra med.

e lib. 8.

f D. Tho. 4. cont. Gent. c. 76. & lib. 3. de regim. Princ. c. 9. Durand. de orig. iurisd. q. 1. & 3. Erue. de potest. Papæ. Palud. de potest. ecclef. a. 4. Franc. Mairon. in 4. d. 19. Franc. Victor. relect. 1 & 2. de potest. eccles. Alber. Pigh. lib. 5. de eccles. hierar. controu. 16. Panorm. & Nauar. c. nouit. de iudic. Almain. de suprema eccl. potest. c. 7.

g Durand. q. 3. de orig. iurisd. Almain. de potest. eccl. c. 7.

h ad Rom. 13.

i Prou. 8.

sceptrum, suum denique regnum, à Deo obtinuisse. Nam si paucos excipias, quos sacræ literæ diuinitus memorant ad Regiam dignitatem promotos, quotquot à mundo condito, adhæc vsque tempora, regna, atque imperia administrarunt, vel hominum studio, ad regni fastigium euecti sunt, vel à maioribus quasi per manus tradita Reip. gubernacula, hæreditario iure perceperunt, vel iure belli, aut etiam non sine iniuria, vltro occuparunt. Quod luculenter explicat [a] Chrysostomus, dum Apostoli verba interpretatur, & multo apertius, ex ista Parisiensi Academia [b] non nemo, Regiam potestatem hactenus tantum à Deo institutam esse affirmat, quod genus aliquod politicæ administrationis, humanæ societati debetur, vsum vero, & auctoritatis exercitationem, Dei quidem nutu, sed hominum potissimum opera comparari. At dicitur Dei gratia Rex. verè omnino, sed etiam Cardinales, Dei gratia, se Cardinales nominant, cum tamen suæ dignitatis auctorem, Pontificem agnoscant, seque ab eo pendere, ingenue fateantur. Subdis, Regem Christianissimum patronum, ac fundatorem esse præcipuum, Ecclesiarum Franciæ, aliaq. permulta, illi priuilegia tribuis, quæ vt omnia vera esse concedam, neque de Pontificia maiestate, dignitateq. quicquam detrahunt, neque causam Venetam faciunt vllo pacto meliorem. Verè namq. scriptum est, à [c] Nicolao Pontifice, Christum B. Petro, æternæ vitæ clauigero, terreni simul, & cœlestis Imperij iura commisisse, & Parisiensis Senatus, in illa Gallicanæ Ecclesiæ defensione, quam laudas, id ante omnia, palam profitetur, perpetuo manendum Regi in obedientia, quam vere

catho-

a ad Rom. 13.

b Durand. de orig. iurisd q. 1.

c d. 22. c. omnes vbi Glos. obseruat Pontificem habere vtrumque gladiũ spiritualem & tẽporalem.

catholicus,& Christianissimus Rex Sanctæ Sedi Apostolicæ debet. Vt interim omittam, non posse Venetum Senatum, Gallicana iura, & priuilegia vi summi, ac supremi Imperij, sibi vendicare.

Mox de amortizatione bonorum verba facis, sed quorsum Gallofrance? Nam neque in isto Regno, ea lex in omnibus bonis admittitur, vt Seruinus tuus, alijque amortizationis [a] assertores, non negant, & quæ amortizationis lex postulat, apud Venetos admitti nulla ratione possunt, cum omnium ferme ciuium bona sint Ecclesiæ fiduciario, vel emphyteutico, alioue persimili iure subiecta, tantum abest, vt Principi sint vlla ratione obnoxia. Vehementer autem, mihi crede, falleris, (vt paulò ante monui,) dum legem amortizationis, iure Regio defendi posse autumas, cum auctore [b] Seneca, penes Reges sit omnium potestas, penes priuatos, suæ cuiusque rei proprietas. Itaque non male significant [c] nonnulli vestram illam amortizationis legem, non nisi Ecclesiastico priuilegio defendi posse. Quamquam facilius mihi persuaserim, (quod alij non obscure indicant,) priuatorum bona Regibus vestris peculiari quodam iure obstringi, quod olim Iosephi industria, ac diligentia in Aegypti Regno [d] contigisse accepimus. Quemadmodum igitur imperitè ac prorsus ineptè fecerit quis, si ius illud Aegyptiorum Regum, omnibus Regibus velit esse commune, ita non satis intelligo, cur Regis, Regnique Christianissimi iura, & priuilegia, ad Venetos velis pertinere. At ius habent (inquis) summæ potestatis, meriq. imperij, quasi vero eadem sint Regum, Regnorumque omnium iura, cum satis constet, longe aliam esse,

in

a *Aegid. mag. equit. & Pet. Vecch. de amort. bonor.*

b *lib. 7. de benef. c. 4.*

c *Ioan. Dried lib. 2. de liber. Chris. c. 3.*

d *Gen. 47.*

in iſto Regno imperãdi rationem, aliam apud Hiſpanos, vt nihil dicam de Regibus Vngariæ, Bohemiæ, Poloniæ, magnæ denique Britanniæ, quorum diſpares iuriſdictiones, & diſſimilia dominandi præcepta, legeſque cenſentur.

Porro de Venetæ Reip. origine, deque eius dignitate, atque præſtantia, nolo tecum pugnacius diſputare. Sint ſane, vt dicitis, omnia, & vera, & certa. Non poſſunt tamen Veneti, ſi Chriſtiani eſſe volunt, aut ſe à Pontificia auctoritate ſubducere, aut ſacros canones impune violare. Iam vero, quæ de Mediolanenſi, & Aquileienſi Epiſcopis, in medium affers, (vt indicaui non ita pridem), ad inſtitutam diſputationem, nihil pertinent. Quo circa minus recte colligis, monendum eſſe Pontificem, vt non ſatagat, cum potius exemplo Pelagij, qui conſecrationem Epiſcopi, contra receptam conſuetudinem vſurpatam, acriter [a] reprehendit, & ſchiſmaticos Epiſcopos eiuſdem conſuetudinis violatores, Imperatori puniendos [b] permittit, excitandus ſit Paulus V. vt fortiter, ac ſtrenue pro Eccleſiaſtica libertate decertet. An tu, Gallofrance, ignoras, an diſsimulas (quod [c] Canoniſtarum ſermonibus protritum eſt) de iuriſdictione, & Eccleſiaſtica libertate, ſacrorum denique Canonum interpretatione quæſtiones, & controuerſias, Eccleſiaſtico iudicio decidendas, & definiendas eſſe? Negant Veneti ſe quicquam contra ſacros Canones feciſſe, contra Pontifex, multis nominibus violatam queritur eccleſiaſticam libertatem, quis quæſo te, hanc controuerſiam dirimet? quis ſententiam feret? Tu quidem, tantus videlicet Reip. patronus, leges Venetas, ad Reip. ſtatum perti-

a 24.q.1.c.pudenda.

b 11.q.1.c.iſtud eſt.

c Dec. & Fel. c. Paſtoralis de reſcr. Innoc. & Butr. c.ceterũ de iudic. colligitur ex c.quomodo. de immun. eccl. in 6. & hanc eſſe communĩ ſent. aſſerit. Iaſ. l. ex quacumq. n. 19. ff. ſiquis in ius vocetur. Fauet D. Tho. 2. ſent. in fin. Dried. lib. 2. de libert. Chriſt. c. 2.

pertinere affirmas,& res Ecclesiasticas negas vllo modo attingere. At queruntur Ecclesiastici ademptam sibi fore exceptionem,Ecclesias suo iure priuari,& immunitatis priuilegia miris modis conuelli : & erit quisquam , cui æquum videatur , summum Ecclesiæ Præsidem,in re tam graui, tamque periculosa conniuere,& tantam Ecclesiasticorum contumeliam æquo animo ferre? Quid enim magis , si fidei causas excipias,ad Ecclesiam spectat,quam quod Ecclesiasticam violat libertatem? Cæterum,quod subijcis,de Synodo Aquileiensi, iam supra refutatum est à me , quicquid enim hoc loco dicis,cum historiæ veritate minus congruit. Vide vero,num recte inferas, quia Venetorum leges,causam fidei non attingunt, Pontificiam dignitatem læsam non videri,nullumque esse indignationi, aut querimoniæ locum , cum Ecclesiasticam libertatem labefactent,& penitus infringant.

Secundam deinde aggrederis huius tuæ defensionis partem,in qua tibi probandum sumis , primam illam legem Venetam,cum ciuili , & canonico iure mirè consentire,& ad eam rem confirmandam ex libro Vindiciarum Seruini,multa describis. Orditur autem ille,à prisca Leuitarum conditione, quos negat hæreditario iure , potuisse prædia [a] possidere. Sit sane ita quod attinet ad ius hæreditarium, & ad bona alienæ tribus,siquidem in Hebræorum gente , sic erant agri tributim diuisi,vt hæreditates ad alienas tribus , iure perpetuo transmittere, nefas esset. Sed vt vides,ad Ecclesiasticam viuendi ratione tam [b] dissimilem,id transferri nequaquam potest. Addo tribum Leuiticam,habuisse in singulis tribubus , vrbes ad [c] incolendum , & sub-

a Deut. 10.18.& Leuit. 25.

b D. Thom. lib. 1. de regim. princ. c. 14. Alexan. Alen. 3. p. q. 4. m. 5. Abulen. 3. Reg c. 2. q. 28. 31. & Iosue 5. q. 16. 17.

c Num. 35.

ſuburbana prædia, primitias præterea, decimas, cæteraſque oblationes, quibus non ſolum alebatur, ſed etiã ad opulentiam, ſupra cæteras tribus, locupletabatur; domus autem, agri, & immobilia bona, quæ Deo conſecrabantur, ſacerdotum vſui cedebant.[a] Ita legimus Abiatar[b] Sacerdotem, agros poſſediſſe, Ieremiam[c] itẽ Sacerdotem, prædiũ Domini iuſſu comparaſſe;[d] Barnabam poſtremo Leuitam, agrum vẽdidiſſe. Quorſum igitur Leuitarum exemplum, à Seruino afferatur, non ſatis intelligo. Nam de Druidis ridiculus plane videatur, ſi eorum ineptias,[e] & Plinij fabulas, clericis imitandas proponat. Miror autem cur tantopere Valentiniani, Valentis, & Gratiani[f] legem extollat, quam Ambroſius,[g] & Hieronymus,[h] non leuiter perſtringunt; quæ tamen ipſa, vt iam ſupra indicaui, non vniuerſim, donationes, & hæreditates, in clericos prohibet, ſed viduarum tantummodo, & pupillarum bona ad Eccleſiaſticos vetat peruenire. Quod proculdubio (vt inſinuat Hieronymus,) aduerſus quoſdam clericos pugnabat, qui viduas, & pupillas, callide circumueniebant, eorumque bona, magno filiorum, ac neceſſariorum damno, per ſpeciem pietatis aucupabantur, quod tamquam impium reprehendit[i] Auguſtinus, qui tamen eos magnopere laudat, qui Eccleſiam ſecundo, aut tertio loco, hæredem ſcribunt. Quamquam autem ea lex annuente (vt nonnulli volunt) Damaſo Pontifice, tolerata eſt aliquando, breui tamen abolita videtur, nec ita multo poſt,[k] lex quædam alia, huic perſimilis, Valentiniani, Theodoſij, atque Arcadij, hortatu (vt creditur) Ambroſij, ab ijſdem Imperatoribus antiquata eſt. Addo legem[l] Martiani, quæ

a *Leuit. vlt.*
b *3. Reg. 2.*
c *Ierem. 31.*
d *Act. 4.*
e *lib. 16. c. 44.*
f *C. Theodoſ. lib. 16. tit. de epiſc. & cler. l. 20.*
g *lib. 5. Ep. 31.*
h *Ep. 4. ad Nepotian.*
i *Serm. 49. & 50. de diuerſ.*
K *C. Theod. lib. 16 tit. de epiſc. & cler. l. 27.*
l *C. Theod. de teſtam. cleric. l. 6.*

vtramque ſuperiorem abrogat, [a] Baſilij conſtitutionem, quæ eiuſdem generis [b] Phocæ legem, ſubſtulit. Et ſi [c] viris doctis credimus, Carolus II. Siciliæ Rex legem huic Venetæ valde affinem, irritam, ac nullam eſſe voluit. Demum [d] Federicus II. quæcunque à prædeceſſoribus, contra Eccleſiaſticam libertatem, ſancita eſſent, prorſus inania, & nullius auctoritatis eſſe iuſſit; idque [e] Pontificia auctoritate poſtmodum firmatum eſt. Fallitur igitur, aut nos certe fallit Seruinus, & iſti Chriſtianiſſimo Regno, non leuem facit iniuriam, cum duriorem legem, in Gallijs ſcriptam, aut conſuetudine acceptam fuiſſe affirmat, qua clerici, à prædiorum poſſeſſione prorſus excluderentur; vt enim ſupra inſinuaui, Capitularia Franciæ, & quem malè Seruinus interpretatur, Sidonius Apollinaris, contrarium apertiſſime docent.

a C. Apud Balſa. ad Canon. Phot. 2. Synodo Conſtantinop. c. 1.
b Zonar. to. 3. & Nicet. in Annal.
c Matt. de Aſſlic. de conſt. Reg. Neap. conſt. quæ incipit, Prædeceſſorum noſtrorum. p. 3. col. 1.
d l. caſſa. C. de ſacroſan. Eccleſ.
e cap. 1. & finali. de immun. Eccleſ. in 6.

Porro Saluiani Maſſilienſis verba peregrina, vt antea docui, & prorſus aliena, explicatione inuerti, ex lege primum Conſtantini, mox etiam Iuſtiniani, meridiana luce clarius conſtat. Sic enim [f] ille aliquando ſtatuit, nihil magis hominibus deberi, quam *vt ſupremæ voluntatis, poſtquam aliud velle non poſſunt, liber ſit ſtilus, & licitum, quod iterum non redit, arbitrium.* [g] Hic vero *quid enim ait, cauſetur Imperator, ne meliora det, cui plurima dedit Deus habere, & multorum dominum eſſe, & facilè dare, & maxime in ſanctiſſimis Eccleſiis, in quibus optima menſura eſt donatarum eis rerum immenſitas.* Et ne ab iſto Chriſtianiſſimo Regno, longius abeamus, cum Rex Chilpericus eorum, qui Eccleſias hæredes inſtituiſſent, irrita iuſſiſſet eſſe teſtamenta, Guntrannus item Rex, (vt ſcribit [h] Gregorius Turo-

f l. 1. C. de ſacroſ. Eccleſ.
g Auth. de non alien. aut permut. reb. eccleſ. §. finimus.
h lib. 7. c. 7.

Turonensis) eam legem, tamquam iniquam, penitus sustulit. Et quidem meritò: nam hoc etiam nostro æuo, magni nominis, ac doctrinæ viri[a] eiusmodi leges, tamquam iniquas, & cum ipso iure naturæ pugnantes reprehendunt. At vide, quo tuus iste Seruinus progrediatur. Hilarium Arelatensem, & Paulinum Episcopos (quos [b] Prosper amplissimis hæreditatibus Ecclesiæ patrimonium, auxisse memorat,) absque literis amortizationis, & regia facultate, id facere potuisse negat; quod, vt supra paucis monui, longissime abest à vero. Siquidem Prosperi ætate, qui fuit vtroque posterior, lex illa nondum erat excogitata, quæ multo post Caroli Magni tempora, videtur inuenta. Adde quod Paulinus Nolæ, in Campania Episcopus præfuit, vbi nulla amortizationis, eo præsertim tempore extabant vestigia. vt nihil dicam Hilarij tempore, vix Reges in Gallia fuisse: certe Franci nondum eam Galliæ partem obtinebant, nec Christiani adhuc erant. Quod vero de bonis Ecclesiasticis, eorumque partitione subnectit, vere omnino, aptèque dictum videri posset, nisi addito aculeo, Ecclesiasticorum mores, tacite perstringeret, & hæreticorum querelas, atque in catholicam Ecclesiam calumnias foueret. Sed bene habet, quod fatetur Constantini liberalitate, quam plurimis prædijs, atque opibus Ecclesiam fuisse locupletatam. De vsu diuitiarum, dèque Ecclesiasticorum, in ijs administrandis fide, integritate, religione, quia ad institutam quæstionē, nihil pertinet, in pręsentia non disputabo. Certe Seruinus [c] Vrbani Pontificis constitutionem, temerè in dubium reuocat, perinde quasi non potuerit in illa perturbatione temporum, rebus Ec-

a Io. Driedo lib. 1. de liber. Chris. c. 3

b lib. 2. de vita contempl. c. 9.

c 12. q. 1. c. videntes.

clesiasticis consulere, & omnino ab alijs, quam à Sanctissimis illis Pontificibus hanc possidendi facultatem, Ecclesiæ concessam esse contendit. Ego vero libẽs admiserim, hanc esse potestatẽ, iure diuino naturali Ecclesiæ tributã, quandoquidẽ libere, quiuis potest se, suaq. Deo deuouere, & fas est cuiq. eorum assequi dominium, quæ sibi vltro concedantur, cum præsertim, quæ offeruntur Ecclesiæ, singulari quodam iure in ipsius Dei [a] transeant proprietatem. Incredibile autem dictu est, quam frigide probet, Ecclesiasticos, non nisi Regum permissu, bona immobilia possedisse: Gregorius [b] inquit, Candidum Rectorem prædiorum, quæ in Gallia habebat, Brunichildæ Reginæ commendat: At hoc nihil indicat aliud, quam, quod ingenue fatemur, Principes, esse bonorum, ac iurium Ecclesiasticorum defensores, ac protectores. Nec imus inficias, plurima etiam à Regibus liberaliter Ecclesijs fuisse concessa, in primis vero Caroli Magni munificentia, ab Adriano Pontif. celebratur, quod quamplurima bona, perpetuo possidenda, Ecclesiæ obtulerit. Quod subdit, prædia fere omnia, in isto Christianissimo Regno, fiduciario iure esse obstricta, à nobis est, in illis enim fatemur, Regiam facultatem, & amortizationis legem, iure defendi posse. Sed quoniam in Italia, & præcipue Veneta ditione, vix vlla huiusmodi bona reperiuntur, hæc Veneti Senatus cõstitutio, de qua est instituta disputatio, nulla potest ratione excusari. Habent Veneti, vt Seruinus ait, summi imperij iura, sed infra Deum. Adde etiam infra Ecclesiasticos Canones, nulloq. modo supra, neque illis, aut nouum, aut molestum, videri debet, quod

à Ro-

a *Conc. Valent. ij. c. vni. Panorm. c. non minus. de immun. eccl. n 6. & c. cum super. de caus. poss. & propriet.*
b *lib. 5. ep. 5.*

à Romano Pontifice, tamquam ſupremo Eccleſiæ præſide, officij moneantur, & vbi à recto deflexerunt, reducantur in viam. Et profecto, in hac quidem cauſa, ſequutus eſt Pontifex, innumerabilia propemodum [a] politica, & [b] Eccleſiaſticá iura, quibus olim cautum eſt, Principum, ac ciuilium magiſtratuum leges, quamuis ampliſſime latas, perſonas, aut bona Eccleſiaſtica, nequaquam comprehendere: quin etiam, ſi quid priuatim, ad Eccleſiæ, aut clericorum vtilitatem decernant, niſi Eccleſiaſtica auctoritate firmetur, irritum [c] eſſe, atque inane, nullam ſiquidem ciuiles Magiſtratus, in clericos, aut Eccleſiaſtica bona, iuriſdictionem [d] habere. Nefas eſt autem dubitare, leges, quæ ſine iuriſdictione feruntur, omni prorſus auctoritate [e] carere, etiam ſi clericos, aut eorum bona, oblique tantum [f] attingant. Spectandus [g] namque eſt legislatoris animus, vna cum verbis, quibus leges exprimuntur, quæ ſi obſcura, [h] aut ambigua ſint, tum vero iudex Eccleſiaſticus, legiſlatorem compellere poteſt, vt legem perinde interpretetur, vt appareat Eccleſiaſticos, non inuolui. Accedit quod ſæculares Principes, & Magiſtratus, pias cauſas, quæq. ad diuinum cultum aliquo modo referuntur, nullo iure poſſunt [i] attingere, ſi quid in eo genere vſurpent, fruſtra nituntur. Quo circa communi conſenſu receptum eſt,

leges

a *l.1.C. de ſacroſ. eccl. & ibi Bart. n. 32. Auth. de cath. tit §. ſi quis nomine magni Dei. l generali l. iubemus. 2. l. ſancimus 2. l. decernimus. C. de ſacroſ. eccl. l. oĩa priuilegia. C. de epiſ. & cler. C. Theodoſ. lib. 16. tit 2. l. 29.*

b *c. Eccl. S. Mariæ de conſtit. c. bene quidem. d. 96 c finali de reb. eccl. non aliennn.*

c *c. bere quidem d. 96. c. finali de reb. eccl. non alie. Gloſ. & Doctt. c. Eccl. S. Mariæ. de conſtit. præcipue Panor. n. 2. notab. 3. Butr. n 3. Zabarel. n. 3. Imo. n. 7. Berous. n. 6. & 16. Dec. n. 16. 88. 91. Felin. fuſe. Bald. n. 5. & c. ſi duob. n. 3. de appel Abb. c. non minus nu. 20. de immun. eccleſ. Surd. lib. 3. cõſ. 62 & 301. Turrecr. c. cum ad verũ. d. 96 n. 4. Card. c. quæ in Eccleſiarũ. n. 2. de conſt. Imo. ibid. n 6. Dec n. 16. & infra. Butr. n. 97.*

d *l. decernimus C. de epiſ. & cler. c. 2 de foro comp. Oldrad. conſ 83.*

e *l. omnes populi ff. de iuſt. & iure. & ibi Caccialup. & Iaſ. l curate, & ibi Bald. C. de donat. ante nupt. c. ſuper. de off. deleg. Rom. conſ. 118. n. 2*

f *c. Statutum. 1. & ibi Gloſ & Doctt. verbo, indirecte. de hæret in 6. c. fin. de imm. eccl. in 6. & ibi Gloſ verbo. libertatis. Anchar. conſ. 55. n. 7. 8.*

g *l. cum pater. §. donationis. ff. de legat 3 Calder. conſ. 12. inter conſil. Ancha. n. 3. Ancha ipſe. conſ. 145 & ad c canonũ Statuta q. 11 princip. n. 168. de conſt. Alex. lib. 2. conſ. 211 n. 10.*

h *Gemin. c. finali. de immun. eccl. in 6. Franc. ibid. n. 2.*

i *Doctt. c. fin. de reb. eccl. non alien. Bart. l. 1. de ſacroſ. eccl. Abb. conſ. 26. p. 1. Dec. c. Eccleſiæ S. Mariæ. nu. 194. de conſtit. Rom. ſingular. 358. Cardin. conſ. 66. Butr. conſ. 4.*

[a] leges, quibus prohibetur, ne res vlla in perſonam non ſubditam diſtrahatur, nullo modo Eccleſiam, aut clericos afficere. Quin etiam hæc Venetorum lex, à plurimis vtriuſque iuriſperitis, partim vniuerſim, partim nominatim, ac proprie damnatur: vniuerſim quidem tum ab [b] ijs, qui leges ciuiles, in pijs cauſis nullius eſſe auctoritatis affirmant, tum etiam ab [c] illis, qui in rebus, quæ ad diuinum cultum ſpectant, iuri pontificio acquieſcendum eſſe non dubitant. Proprie autem, ac nominatim, reijcitur à maxima, vtriuſque iuriſperitorum [d] parte. Quod ſi de iuriſdictione aliqua incidat dubitatio, iudicis Eccleſiaſtici ſententiæ parendum eſſe, tam certum [e] eſt, quam quod certiſsimum. Merito igitur (quicquid Seruinus diſputet) Pontif. Paulus V. hanc Venetam legem irritam eſſe iuſsit, quæ tam multis nominibus, Eccleſiaſticam violat libertatem. Nam quæ de collegijs, eccleſijs, manibus denique mortuis, rurſus inculcat, ea iam ſupra, cum de amortizationis lege ageremus, nō ſemel refutata ſunt. Quod ſi Senatus Pariſienſis aliter aliquando cenſuit, id proculdubio, in ijs prædijs locum habet, quæ iure aliquo obſtricta tenentur. Cæterum quis non videat, impium, ac nefarium eſſe, lege ſtatuere, ne quidpiam Deo conſecretur, ſiue ad diuinum cultum amplificandum, ſiue ad expianda fidelium crimina, ſiue ad pauperes alendos, ſiue denique ad numen religioſè propitiandum?

Cer-

a c. finali. de imm. eccl. in 6. vbi Gemin. & alij. Abb. c relatū 1. n. 5. de test. Felin. c. eccl. S. Mariæ n. 113. de conſt. Dec. ibid. n. 249. Bart. l. fil. famil. §. diui. ff de leg. 1. Fed. Sen. conſ. 45. Ale. p. 2. cōſ. 211

b Bart. l. oēs populi q. 4. princ ff. de iuſt. & iure Bald. l fin C. de iuriſd. omn iudic & l decernimus. col. 2 C. de ſacr. eccl Butr. c. cum omnis. col. penul. de conſtit. Anchar. c 1. ver. quæ enim eod tit. Dec. c eccl S. Mariæ. n. 89 ibi colligitur ex c. cum ad verum. d. 96.

c Lap. alleg. 92. n. 1. Dec c. eccl. S Mariæ. n. 14. de conſt. Couar lib. 2. var. c. 20. n 3.

d Archid ad c Romana de appel. in 6. Panorm. conſ 26 62. 63 & c. relatū 1 de teſta. Dec c. Eccl. S Mariæ. de conſtit. n. 192. Feli. d c. eccl. S Mariæ. & c quæ in Eccle. de conſt. Io. Andr. c fina. eod. Gemin. c. 1. de immu eccl. in 6. Franc. ibid. n. 5. Oſtien. in ſum. de imm. eccl. §. ſed nec illa. Conſtat ex c. cum laicis de reb. eccl non alien. c quæ in Eccleſiar. de conſt c. 1. de imm. eccl. in 6. Angel. l. filiusfa. §. diui. ff. de legat. 1 Alex. Imo. Alber ibi. Iaſ. ibid. Bart. ibid. & l. fin. C. de ſacro. eccl. & l. item fina. C. de exation. Bal. Auth. hoc ius porrectū. ver. & propterea col. 3. C. de ſacro. eccl. Alciat. Auth. caſſa. C. eod. Caſſan. ad conſuet Burgund. tit. de manib. mort. n. 29. & 30. Nicol. Euerar. cōſ. 239 ſub fin Iul. Clar. prac. cri. §. fi. q. 82. ſtatuto 5. Cald. conſ. 12. Anch. conſ. 13. & c. canonū ſtat de cōſt. Lap. alleg. 82.

e Colligitur ex c. quomodo de imm. eccl. in 6. c. imperiū & c. certū eſt. d. 10. D. Tho. 2. ſent. in fin. Io. Dried lib. 2. de libert. chriſt. c. 2. Dec. & Felс. c. paſtoralis. de reſcriptis. Innoc. & Butr. c. cæterorum. de iudic. quam ſententiam communem eſſe aſſerit. Iaſ. l. ex quacunq. n. 19 ff. ſi quis in ius vocetur.

Certe [a] Vrbanus Pontifex, & Prosper [b] Aquitanicus, bona Ecclesiastica, patrimonia pauperum, pretia peccatorum, & fidelium vota appellant. Et ferenda erat lex illa, quæ tanto bono non dicam Ecclesiam, sed fideles [c] spoliat vniuersos? Cum præsertim, non semel, iure canonico [d] cautum sit, vt quæ Ecclesiæ relinquuntur, aut donantur, integra, & salua sint, neue vlla auctoritate, etiam Regia, vllo pacto lædantur.

Illud video Gallofrance, apud omnes constare, quæ pertinent, ad religionem, & Dei cultum, adeo cum iure Ecclesiastico coniungi, vt qui alterum læserit, vtrumque [e] sustulisse videatur. Quod si placeat [f] eorum sequi sententiam, qui illa contra Ecclesiasticam libertatem esse affirmant, quæ tollunt, vel imminuunt ea, quæ iure communi, vel aliquo certe priuilegio, Ecclesijs, atque Ecclesiasticis debentur, profecto negari non potest, lege ista Veneta, quam tu, Gallofrance, argutè magis, atque ingeniosè, quam verè, defendis, non solum lædi, sed funditus euerti Ecclesiasticam libertatem. Cuius enim mortalium (modo liber sit, & ingenuus) iure naturæ, licet emere, vendere, permutare, donare, acquirere, & parta retinere, quæ magna ex parte ista Veneta lege, clericis prohibentur. Sin autem [g] aliorum magis probetur opinio, qui contra libertatem Ecclesiasticam, ea esse definiunt, ex quibus clerici efficiuntur timidiores, quis non videat, ista lege, eo redigi clericos, vt illis perpetuo metuendum sit, si-

a Ep. 1. ad omn. fidel.

b lib. 2. de vita contempl. c. 9.

c c. prælia. c. nulli. 12. q. 2. l. summa. ff. de rer. diuisi §. nullus instit. eod.

d c. bene quidē. d. 96. c. decretū. 10. q. 1. c. nulli. c. prædia. c. Apostoli. c. de reb. c. indigne. 12. q. 2. c. laicis, & c. si quis primū. 16. q. 7. c. in qualibet. §. sancimus. 22. q. 8. c. quæcunq. 25. q. 2. c. cum laicis de reb. eccl non alie. Conc. Agathen. 1. c. 4. apud Grat. c. clerici. 13. q. 2. Cōc. Carta. 4. c. 9 apud eund. ibid. c. qui oblationes. Concil. Rom. 6. sub. Sym. 16. q. 1. c. in canon. Conc. Aurelian. 3. c. 22. Aquisgran. sub Pipi c. 26. Valent. 2. c. vnico.

e c. quicunq. 12. q. 2. c. frater. 17. q. 4. l. 1. C. de sepulchr. violat.

f Cin. & Salicet. Auth. cassa. C. de sacro. eccl. Bald. in l. cunctos populos. C. de sum. Tri. & fide Cath. & in Auth. statuimus. in fin. C. de episc. & cleric. cons. 187. deniq. §. ius autem ciuile. q. vlt. insti. de iure nat. gent. & ciui. Fulgos. l. 1. C. de sum. Tri. & fide Cath. Lap. alleg. 91. Alexan lib. 2. cons. 211. lib. 6. cons. 18. cons. 209. n. 14. cons. 210. n. 11. Felin. c. ecclesia S. Mariæ n. 69. de constit. Butr. c. nouerit de sent. excomm. n. 9. Innoc. & Panorm. ibid n. 2 qui præterea lib 1 cons. 83. addit hanc esse communem theoricam.

g Bart. Auth. cassa C. de sacros. eccl. & l. 1. §. quæ oneranda. ff. quarum rerū actio non datur. Angel. ibid. Bald. d. Auth. cassa. Abb. c. nouerit. de sent. excom. & in repet. ad c. eccl. S. Mariæ, de const. Ancha. c. canonum statuta. vers quæro circa hoc de constitut.

ue prædia, aut agros acquirant, siue distrahant, ne aut contra sacros Canones, & Ecclesiæ vtilitatem peccent, vel si leges Principum negligant, in eorum offensionem incurrant. Denique si (quod [a] plerique alijs potius verbis, quam diuersa à priori sententia affirmant) ea velimus esse contra Ecclesiæ immunitatem, quibus clerici, iuris communis beneficio spoliantur, plane efficitur, cum isto senatusconsulto, clericorum libertatem, nequaquam consistere. Certè namq. affirmat non [b] nemo, ea cum Ecclesiastici ordinis libertate pugnare, quæ clericis vetant, quod nulla lege diuina, aut canonica prohibetur. Quæ cum ita sint, fateri necesse est, æquè cum Ecclesiastica libertate pugnare, si prohibeantur clerici, bona immobilia comparare, & cogantur intra certum tempus, ea sibi legata, aut donata [c] vendere.

Vides igitur, Gallofrance, cuius legis defensionem susceperis, quæ tam multis nominibus iuri diuino naturali, ciuili, & Ecclesiastico aduersatur. At enim interest Principum, ne Ecclesiastici tam multa prædia comparent, vt laicos spolient, atque ita breui rerum copiam habeant. Quam ob causam addis, in Senatu Parisiensi, frequentibus senatusconsultis, statutum esse, ne absque consensu Principis, vlla immobilia bona, clerici vel religiosi retineant, itaq. contra Catalaunensem Episcopum, Anno M.CCLXXVII. definitum esse. Acutè tu quidem, sed vereor, vt verè. Neque enim de diuina prouidentia dubitandum est, cuius potissimum consilio, Regna, atque Imperia stant, & Respublicæ administrantur. Itaque rectè dixit Aristoteles, inter regia ornamenta, nihil esse pietate in Deũ, & reli-

a Bald. in repet. ad l. cunctos populos, vers. nunc de tertio membro. C. de sum. Trin. & fide catho. Fulg. Auth. cas. C. de sacros. eccles. Eutr. Imo. Felin. in c. ecclesia S. Mariæ de constit. & rursus Imol. in c. cum terra. de electon.

b Felin. c. ecclesia S. Mar. de constit. Cardin. in perpēd. q. 2. de sent. excō. & cons. 147. [quod incipit statuit ciuitas.] op. alleg. 92. & 101. Domin. [in c. finali not. 2. de immu. eccles. in 6. vbi hoc indicat text. & probant alij Doct. Alex. lib. 2 c. 211. n. 7. vers. multo fortius.

c Bald. Auth. hoc ius porrectũ. vers. & propterea. C. de sacros. eccles. & probat text. in l. generali, & in l. iubemus. C. eod. c. cum laicis. de rebus eccl. nõ alien. c. quæ in Ecclesiarum. de constit. c. 1. de immun. eccl. in 6. vbi Gemin. & Fran. nu. 5. Dec. c. ecclesia S. Mar. [n. 192. de constitut. Ostiens. in sum tit. de immun. Eccl. §. sed nec illa.

& religionis cultu præstantius. Et [a] Xenophon, tanto ait, cultum religionis magis decere Principem, quanto sit felicior, vt imitationis studio, pietateq. in aliorum animis excitata, hoc sibi maiores opes, & potentiam affirmet, quo magis diuini numinis veneratione populum imbuerit. Itaq. Numa Pompilius, vt populi Rom. feritatem exueret, & Regnum in longissimum tempus stabiliret, vna cum legibus sacra, in Rom. Remp. inuexit. Et (vt de nostris aliquid dicam) verè omnino, ac sapienter [b] Cyrillus, politicæ administrationis fundamentum, religionem esse dixit. Et vicissim Theodosius, & Valentinianus, ad Cyrillum scripserunt, Principem quasi alterum Reip. parentem, atque tutorem, nihil æque decere, ac religionis antiquæ, veræque curam, & patrocinium. Remigius autem Remensis Episcopus, cum Clodoueum Galliæ Regem inungeret, tamdiu Regnum duraturum esse prædixit, quamdiu in eo religio, & iustitia colerentur. Et in eandem sententiam, [c] Agathias duraturum Imperium Gallicum pronuntiauit, in quo non minus pietas, quam iustitia vigeret. Itaq. rectè [d] Minutius, nihil, ait, in Rep. curari magis, obseruariq. oportere, quam religionem. Et [e] Isidorus Pelusiota nihil censuit vtilius, aut præstantius pietate in Deum, quæ Laureatis quoque Imperatoribus, sartam tectam populariam obedientiam conseruat. Certè olim diuinis oraculis pronunciatum legimus, Christi Ecclesiam, Regum opibus, ac thesauris supramodum locupletandam. Huc enim spectant illa apud [f] Isaiam; Et erunt Reges nutritij tui. Itemq. & suges lac gentium, & mamilla Regum, lactaberis. Et rursus, Reges eorum ministrabunt

a *lib. 7. Cyriped.*

b *Initio lib. de fide ad Theod.*

c *lib. 1. de bello Gall.*

d *In Octau.*

e *lib. 2. ep. 136.*

f *Isa 49. & 60.*

tibi; gens enim, & Regnum, quod non seruierit tibi, peribit. Quocirca Leonem Augustum, Leo [a] Pontifex monuit, Regiam potestatem, non tam ad Reip. administrationem, quam ad Ecclesiæ præsidium, collatam esse. Egregiè vero [b] Ioannes Pontifex ad Iustinianum Imperatorem in hæc verba scripsit: *Nihil est quod lumine clariore præfulgeat, quam recta fides in Principe. Nihil est quod ita nequeat occasui subiacere, quã vera religio.* Mox vero de religionis studio. *Hoc est enim*, inquit, *quod vestrum firmat Imperium, hoc quod vestra Regna conseruat.* Ipse vero Iustinianus [c] alicubi; *Nos, ait, omni prouidentia, curam Ecclesiarum gerimus; per quas, & Imperium nostrum sustineri, & publicas res, per clementiam Dei, & gratiam, muniri credimus.* Gottorum porrò Rex Atalaricus apud [d] Cassiodorum in hunc modũ scribit; *Tanto diuinitati plurima debemus, quanto cæteris mortalibus, maiora suscepimus. Nam quid simile rependat Deo, qui potitur Imperio? Sed licet pro tanto munere nihil compensari poßit idoneè, ipsi tamen gratia redditur, dum in seruientibus honoratur.* Vides igitur (opinor) Gallofrance, non obesse Principum auctoritati, Ecclesiasticarum rerum, & personarum amplitudinem, ac maiestatem: neque verendum esse, ne fidelium in Deum liberalitas, & munificentia, ciuiles, & politicas opes exhauriat. Quod si aduersus Catalaunensem Episcopum, Senatus auctoritate aliquid secus definitum est, peculiari quopiam iure, & singulari priuilegio factum esse non dubito, cum de amplißimi Senatus pietate, ac religione, non aliter sentiendum videatur. Quamobrem vide, vtrum recte in vniuersum concludas, hoc ius ad Principem pertinere, vt

absq.

[a] Ep. 73.

[b] l. inter claras. C. de sum. Trin. & fide cath.

[c] Nouel. 42.

[d] lib. 8. variar. ep. 29.

absq. eius facultate, Ecclesiasticæ personæ nihil penitus queant possidere. Nam quod ex [a] Iuone atque Augustino [b] profers, vt initio monui, alio spectat, tantum enim docet (quod nemo negat) villas, & prædia non diuino, sed humano tantum iure posfideri, ijsq. hæreticos recte priuari, quod Imperatoriæ leges [c] illos spoliandos esse decreuerint.

Venio nunc ad secundum tuæ disputationis caput, in quo tibi, secundam Venetorum legem defendendam proponis, quæ Ecclesias, monasteria, & pia loca sine iussu Principis exstrui vetat. Tuam vero defensionem duas in partes tribuis, & in altera quidem rationibus, in altera autem exemplis pugnas. Et quod attinet quidem ad rationes, fateor (quod initio ponis) gentilium templa, fuisse olim expiata, & diuino cultui religiosè consecrata. [d] Cæterum ante omnem Principis legem, ipsa Apostolorum ætate, certa loca Deo dicata erant, quæ ab alijs Oratoria, ab alijs Ecclesiæ vocabantur. Constantinum Imperatorem omnium primum, lege lata toto orbe terrarum, potestatem fecisse, vt Christiani Ecclesias, ædificarent, quas non semel ethnici Imperatores, suis nefarijs edictis, partim prohibuerant, partim euerterant, equidem non inficior. Illud nego (quod etiam initio significaui) templorum dedicationes, vllo vnquam tempore, apud Christianos auctoritate ciuilium Magistratuum fieri consueuisse. De Concilio vero Chalcedonensi, & Balsamonis interpretatione quid sentiendum sit, quia docui non multo ante, hoc loco prætereo. Certè Ambrosius, Valentinianum Augustum, cum de basilicis tradendis ageretur, his verbis affatur. [e] *Nec mihi* inquit,

a *par. 3. c. 194.*

b *Tract. 6 in Ioan. pene eadem epist. 48. et 50 ad Bonif. & lib. 2. cōtra lit. Petiliani. c. 43. 59.*

c *C. Theod. lib 6. tit. 5. lib. 43. 52. 54*

d *Greg. Nis. in vita Greg. Taum. Theod. lib. 8. cont. Græc. in fin. Greg. Pont. lib. 2. dial. c. 8. & lib. 19. reges. ep. 71.*

e *lib. 5. ep 33.*

fas est tradere, nec tibi accipere, Imperator, expedit. Domum priuati, nullo potes iure temerare, domum Dei existimas auferendam. Allegatur Imperatori licere omnia, ipsius esse vniuersa. Respondeo, Noli te grauare Imperator, vt putes, te in ea, quæ diuina sunt, Imperiale aliquod ius habere. Noli te extollere, si vis diutius imperare, esto Deo subditus. Scriptum est, Quæ Dei, Deo, quæ sunt Cæsaris, Cæsari. Ad Imperatorem palatia pertinent, ad Sacerdotem Ecclesiæ. Publicorum tibi mœnium ius commissum est, non sacrorum. Nonnullis autem interiectis subdit; *Ecclesia Dei est, Cæsari vtique non debet adijci, quia ius Cæsaris esse non potest templum Dei*. Qua igitur fronte, affirmare quis audeat, rerum quoque sacrarum curam, ad Principem pertinere, & ad eius auctoritatem spectare, vt de ijs leges ferat, iubeat, & vetet? Audi hunc ipsum Ambrosium ad eundem Va-
a lib. 5. ep. 32. lentinianum hæc scribentem. [a] *Nec quisquam, ait, contumacem iudicare me debet, cum hoc asseram, quod Augustæ memoriæ, pater tuus, non solum sermone respondit, sed etiam legibus suis sanxit in causa fidei, vel Ecclesiastici alicuius ordinis, eum iudicare debere, qui nec munere impar sit, nec iure dissimilis; (hæc enim verba rescripti sunt) hoc est sacerdotes, de sacerdotibus, voluit*
b 67. *iudicare*. [b] At Nouellam Iustiniani, nobis obijcis. Sed illum plus sibi iuris, in res Ecclesiasticas vsurpasse, quam recta ratio pateretur, non ita multo post ostendam. De Collegijs, quod ex iure ciuili in medium affers, (quamquā eo quidem loco quem tu indicas, nusquam reperitur) quorsum pertineat, non satis intelligo, nam si velis Collegia, religionis, & pietatis gratia instituta, à Principum, & Magistratuum, au-

ctori-

ctoritate pendere, sacris [a] Canonibus apertissime aduersaris. Neque vero sanctissimus Dominus, Dominus Noster, Paulus Papa V. illicita Collegia, aut priuatas coitiones, etiam per speciem religionis, nullius Ecclesiastici præsulis auctoritate institutas defendit; quin potius vehementer dolet, occultos hominum congressus esse alicubi, conniuentibus Principibus, non sine magno religionis, ac morum detrimento sensim introductos. Quod si de ijs Collegijs loqueris, rem quidem non omnino veram, at certe non penitus improbabilem asseris; sed ad caussam Venetam defendendam, nihil habet momenti. Tertulliani sanè testimonium (nisi ego fallor) [b] Plinij iunioris edictum indicare videtur, quo se ille hetærias prohibuisse, ad Traianum scripsit. Quod si illud edictum probas, eadem ratione obijcere poteras, [c] legem Diocletiani, & Maximiani, cæterorumque tyrannorum edicta, quibus olim Christianam religionem oppugnabant. Itaque vides, Gallofrance, nullam te vel probabilem attulisse rationem, ad legem Venetam stabiliendam, cum plane constet, hanc exstruendi Ecclesias, & monasteria auctoritatem, [d] sacram, & Ecclesiasticam esse.

In altera porro tuæ defensionis parte, Principum, atque Imperatorum exemplis, vtcunque probas (quod nemo catholicus inficiatur) plurimas basilicas, cœnobia, & loca pia, eorum liberalitate fuisse exstructa; non tamen absque nutu Episcoporum, multoque minus sine eorum auctoritate, atque opera fuisse consecrata. Potuisses autem multa de Constantino ex [e] Damaso, & [f] Eusebio scribere; de Constantio, ex [g] Athanasio;

a *Clem. quia contingit. de relig. dom. Concil. Trid. sess. 22. c. 8. de reformat.*

b *lib. 10. ep. 97.*

c *l. Collegia. C. de hæred. instit.*

d *De consec. d. 1. c. de locorum. c. præcepta. c. basilicas. c. eccl. c. nemo. toto tit de eccl. ædifi. c. auct. de priu. in 6.*

e *In vita Sylu.*

f *lib. 3. & 4. de vita Const.*

g *In Apolog.*

[a] Orat. 1. in Iul.
[b] lib. de ædif. Iust.

nasio; de Gallo, ex [a] Nazianzeno; de Iustiniano, ex [b] Procopio; de Carolo Magno, alijsque permultis, quæ recensere longum esset. Sed nisi ego fallor, falleris ipse, dum asseris, nulla extare monasteria, religiosas domos, aut alia venerabilia loca, nulla etiam corpora, & vniuersitates, nisi vel solius Principis Liberalitate, vel ipsius auctoritate, & approbatione. Quod si in isto Regno, absque Regis diplomate, & supremæ curiæ senatusconsulto, nullum templum, aut monasterium exstrui licet, Ecclesiasticum priuilegium, facilius admiserim, quam vllam Christianissimis Regibus in res sacras, & Ecclesiasticas tribuam auctoritatem: aut si quando Regius consensus desideratus est, de ijs sacris ædificijs accipio, quæ in area publica, vel certè solo, olim iuri Regio obnoxio, excitanda erant. Exempla sanè, quæ à te afferuntur, Imperatorum, ac Regum magnificentiam, & pietatis studium, mirificè declarant: auctoritatem tamen, quam contendis, nequaquam probant. Domesticum vero exemplum (vt tu loqueris) ædis aureæ diui Marci, Sebastiani Ziani Ducis pietatem, & munificentiam commendat; præterea nihil. Neque enim credendum est, absque auctoritate Præsulis Ecclesiastici, tam magnificum ædificium, aut inchoatum, aut perfectum, aut Deo denique dicatum esse. Non rectè igitur concludis, Venetos more maiorum, nimium in templis exstruendis, Christianorum studium, repressisse: quicquid enim in illo genere peccetur (si quid tamen peccatur) Ecclesiasticorum prouidentia emendandum est. At inquis, [c] Vvalfredus Abbas, satius esse dixit, pauperibus, quæ viua Dei templa sunt, & simulacra, subuenire,

[c] lib. de reb. eccles. cap. 14.

nire, quam templorum parietes exſtruere, vel exornare, eoque nomine beatum Gregorium, in primis laudat. Eſto: poſſem tibi obijcere [a] Euſebium, qui magnam, ait, Chriſtianorum fuiſſe lætitiam, cum viderent, ea loca, quæ paulo ante, impijs tyrannorum machinis euerſa iacuerant, rediuiua conſtructione clariora, & celſiora conſurgere, & excelſa, ac magnifica templa, pro humilibus oratorijs excitari. Poſſem multa de templorum magnificentia, atque ornatu proferre, ex [b] Cyrillo Hieroſolymitano, [c] Gregorio Nyſſeno, [d] Chryſoſtomo, [e] Cyrillo Alexandrino, [f] Ambroſio, [g] Hieronymo, [h] Optato Mileuitano, [i] Auguſtino, [k] Paulino, [l] Prudentio, [m] Proſpero, alijſque permultis. Quæ ſi vera ſunt, vt profectò ſunt veriſſima, plane ſequitur, eum, qui hæc ſacra ædificia prohibeat, maximum, ſine dubio ornamentum, ab Eccleſia remouere, & Eccleſiaſticam libertatem, non mediocriter lædere. Quod vero attinet, ad Vvalfridi ſententiam, id vnum, vir pius affirmat, quod olim Hieronymus, & Chryſoſtomus docuerant, in his quãuis ſacris, ac religioſis ædificijs, ſi cætera deſint Chriſtianæ pietatis officia, religionis perfectionem nequaquam poſitam eſſe; ſed præſtantiores, nobilioreſque virtutes ſedulò parandas, quibus animus, ad pietatem informetur. Deo vero immortali, longe gratius, acceptiuſque videri benificentiæ genus illud, quo indigentium inopia ſubleuatur, quam quo templa, atque altaria auro, gemmiſque fulgent. Verum id nunc non agitur; de Veneti Senatus poteſtate diſputatur, vtrum iuriſdictionis ſuæ fines exceſſerit, & ſacrorum canonum conſtitutiones violarit. Nam quod ad extremum

a *lib. hiſt. q. c. 10.*

b *Cathe.* 14.
c *Orat. in S. Theo.*
d *Hom. 66. ad pop. et Ho. 51. in Matt.*
e *lib. de fide ad Reg. in init.*
f *lib. 2. de off. c. 21.*
g *In ep. ad demet. & Zac. c. 8.*
h *lib. 6. cõt. Parm.*
i *In Pſal. 112.*
k *Nat. 3. de S. Felice.*
l *In Hym. de S. Laur.*
m *lib. de promiſſ. c. prædict. p. 3. c. 38*

tremum addis, ob nimiam Templorum multitudinem, instituendam potius querelam fuisse, qualem Concilio Constantiensi, à Petro Aliacensi Cardinale, propositam accepimus, quam de Duce, ac Senatu expostulandum, ob legem latam, ne vlla in posterum absque Principis auctoritate Templa, aut Monasteria exstruantur, parum (vt modestissime dicam) ad Venetam defensionem pertinet. Fac nimiã esse Templorũ, ac Monasteriorũ multitudinẽ, fac rogandũ fuisse Pontificem, vt Ecclesiasticis ædificijs modum imponat; cur sibi Senatus arrogat, quod erat à Pontifice impetrandum? Negas ius sibi nouum vsurpasse, at non probasti, fas esse Principibus laicis, de rebus sacris, atque Ecclesiasticis, præcipuè vero de Templis, aut Monasterijs, quicquam statuere. Monendi igitur potius tibi sunt Veneti tui, vt [a] Caroli Magni pietatem imitentur, qui quamuis graue, atque intolerabile iugum, à Sancta Sede impositum, ferendum tamen existimauit. Nam si perstent in contumacia, & tam vtile, ac salutare præceptum Apostolicum contemnant, verendum est, ne quod [b] Hieronymus, & [c] Beda insinuant, fidei, ac religionis iacturam, aliquando faciant. Recte siquidem Gregorius VII. de Apostolico præcepto, alicubi [d] scripsit. *Qui vero*, ait, *huic saluberrimo præcepto obedire noluerit, idolatriæ peccatum incurrit, Samuele testante, & B. Gregorio astruente, peccatum ariolandi est, non obedire, & quasi scelus idolatriæ non acquiescere. Peccatum igitur Paganitatis incurrit, quisquis dum Christianum se asserit, Sedi Apostolicæ obedire contemnit.* Neque vero facile poterit idonea excogitari ratio, cur Venetum præceptum, tam amplum, & latè patens, censeri

a *c. in memoriam. d. 19.*

b *Ep. ad Damas.*

c *Matth. 16.*

d *c. si qui sunt. d. 81.*

feri possit, vel iustum, vel ad Reip. conseruationem vtile, ne dum necessarium. Constat enim Regna, atque Imperia, non armis tantum, & ciuili prudentia, sed etiam; & quidem præcipuè, diuini numinis prouidentia, & cælesti patrocinio conseruari, propagarique. Aedibus vero sacris, Deique Templis, Martyrum Basilicis, religiosorum Cœnobijs, pauperum Xenodochijs, tamquam cælestibus quibusdam arcibus, diuinisque præsidijs, ab hostium oppugnationibus defendi, atque muniri. Vt malè omnino rebus suis consulere videantur ij, qui his firmissimis munitionibus neglectis, humana tantum consilia, patrociniaque sectantur. Verè quippe dictum est à [a] Dauide: Nisi Dominus custodierit ciuitatem, frustra vigilat, qui custodit eam. [b] Itemque. Hi in curribus, & hi in equis; nos autem in nomine Dei nostri inuocabimus. Ipsi obligati sunt, & ceciderunt, nos autem surreximus, & erecti sumus.

a Psal. 126.
b Psal. 19.

Reliquum est tertium, ac postremum, tuæ orationis caput, in quo Venetæ legis tertiæ, facilem, ac promptam defensionem polliceris, qua Venetus Senatus, ius sibi, in personas ecclesiasticas vendicat. Exordiris autem à grauissimo Petri [c] testimonio, *Nemo*, inquit, *vestrum patiatur vt homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor*. Eorum porro verborum interpretationem, à Concilio [d] Matisconensi, idest, mutuaris, in quo Patres capitalia quædam, clericorum crimina, laicis Magistratibus permittunt. Sed Apostoli verba, vniuersim ad omnes Christianos pertinent, Concilij Patres nominatim de Clericis agunt: itaque mirari satis non possum, qua ratione

c Ep. 1. c. 4.
d Cap. 7.

hæc duo tam diuersa testimonia, simul componas, & vtriusque vim, per imprudentiam elidas. Quoniam igitur Apostoli verba, ad clericos non pertinent, sed rerum aduersarum tolerantiam, cum vitæ innocentia, morumque integritate commendant, quæ tam laicis, quam clericis communis esse debet, & tam Ecclesiasticos, quam sæculares iudices spectant, apud quos iustè, vel iniustè quis plecti potest, illis prætermissis, de Concilij definitione tibi respondebo. Coactum est illud Concilium, circa tempora Pelagij II. hoc est anno circiter à Christo nato DLXXXIII. At multo antea vniuersim clericos, à sæcularium Principum iurisdictione, liberos docuerant [a] Dionysius Areopagita, Concilium [b] Carthagin. iij. Gregorius [c] Nazianzenus, Concilium [d] Agathense, Concilium [e] Aurelian. iv. Nihil dico in præsentia, de [f] Constantino, & [g] Valentiniano, qui sua auctoritate, neque voce tantum, sed re ipsa, Ecclesiasticam libertatem confirmarunt, nam Constantinus quidem præter ea, quæ in Concilio Niceno magnificè prædicauit, dixisse aliquando fertur, si suis oculis Episcopum, vel, (vt alij volunt,) Monachum, alienæ vxori stuprum inferre forte vidisset, tam immane facinus, paludamenti obiectu velaturum se, ne tanti facinoris aspectu, aliorum oculi inquinarentur. Quo circa vides ante Concilium Matisconense, Ecclesiasticam libertatem probè stetisse. In eo autem Concilio, potuerunt Patres (quod id temporis ratio postularet) aliquid sæcularibus concedere, vt multa isti vestro Regno, ipsisque adeo Venetis, ab Ecclesiasticis concessa esse compertum est. Vel (quod magis reor) loquuntur Patres, de crimini-

bus

a *Ep. ad Demoph.*
b *Can. 9.*
c *Orat. q. 17. 27.*
d *Can. 23. habetur 11. q. 1. c. clericum*
e *Cap. 20.*
f *Ruffi. lib. 10. hist. c. 2. Theod. lib. 1. c. 11. Greg. lib. 4. ep. 31. Niceph. l. 8. c. 16. Nicol. ad Michael. Imper. c. in scripturis. c. boni principis. c. quis dubitet. d. 96.*
g *Ambros. lib. 5. ep. 32.*

bus quibusdam atrocioribus, quæ censura Ecclesiastica, pro criminis grauitate, idoneè plecti nequaquam possunt, & iccircò statuunt clericos, qui sese ijs sceleribus obstrinxerint exauctoratos prius, politicis Magistratibus permittendos esse, qui legum auctoritate innoxios, & facinorosos animaduertãt. Sic enim hoc nostro sæculo, non raro Ecclesia facere cõsueuit. Quod si tanti facis Matisconense Concilium primũ, cur negligis secundum, eodem Rege Gontranno editum. At in illo, longe plures Episcopi, personas Ecclesiasticas, vniuersim eximunt, à sæculariũ Principum iurisdictione, statuuntque, vt clericorum causæ coram Episcopis discutiantur. Si quid secus fiat, contra ius, fasque vsurpari. Et profectò, agnouisse videntur Episcopi, quod superiori concilio definitum erat, male à laicis acceptum, contra Ecclesiasticam libertatem, pugnare. Et quod illi non ita perspicuè dixerant, planius declararunt, in quouis crimine clericorum, Ecclesiasticæ sententiæ, acquiescendum esse. Mitto alia quamplurima, quæ in Capitularibus Franciæ pro Ecclesiastica libertate definita sunt, quæque sanctè, ac seuerè præcipiunt, ne politici Magistratus vllius ordinis clericos in ius vocare audeant, aut à foro Ecclesiastico vlla ratione auocare. Hoc verò Matisconensis ij. Concilij testimonium prætermitti non potuit, quod anno duodecimo post illud primum, illius definitionem, vel antiquauit, vel certè explicuit, vt Ecclesiasticam libertatem non lædat. Addis Pauli testimonium in Epistola ad [a] Romanos, vna cum explicatione Chrysostomi: sed nisi mea me fallit opinio, vterque nobis potius, quam Venetæ causæ fauet, quamquam enim

[a] Cap. 13.

Apostolo præcipue propositum erat, eorum insaniam refellere, qui Christianos à Principum auctoritate eximebant, atque adeo ostendere Principibus, & Magistratibus etiam infidelibus, si quid rectè præcipiant, obtemperandum esse, initio tamen capitis, vnde tu sumis argumentum, amplissimam, & latè patentem sententiam profert, quam ad sæculares dumtaxat Magistratus nemo (quod sciam,) reuocandam censuit: siquidem penè [a] innumerabiles, à quibus ne ipse quidem Chrysostomus discrepat, sublimiores potestates, quas Apostolus nominat, vniuersim accipiunt, vt Ecclesiasticas etiam dignitates complectantur, idque ad Senonensem Archiepiscopum, & ad Conradum Imperatorem luculenter indicat [b] Bernardus, qui ex hoc Pauli loco colligit vtrique erga Romanum Pontificem obedientiam præstandam esse. Quod autem concludis, illo sæculo, cum videlicet Apostoli superstites essent, tam clericos, quam laicos, fuisse infidelibus Principibus subiectos, si de re ipsa loquaris, nemo potest contradicere, sin autem de iure, negare non potes; Paulum [c] Apostolum voluisse, omnium fidelium causas, apud Christianos, non autem apud infideles magistratus, agitari. De canonibus, & epistolis veterum Pontificum, deque Apostolicis constitutionibus (quod in præsentia subijcis) nolo tecum curiosius disputare; quamquam enim eorum auctoritas, non est penitus contemnenda, in hac tamen controuersia, nihil mihi afferendum duxi, quod non esset apud omnes certum, & exploratum.

a Tertul in Scorp. c. 14. Irena. lib. 5. cap. 24. Ambr. Chrys. Theodo. Theoph. Ansel. Primas. ad Rom. 13. Basil. cisti Monast. c. 23. Bernar. epist. 42. 183. Alexan. Alen. 3. p. q. 1. m. 5 D. Tho. Bonau. Richar. Duran. Aegid. Carthus. 2. sent. d. vlt.
b Ep. 42. & 183.
c Prima ad Cor. 6

Agis deinde exemplis, sed (vt verum fatear) non satis fideliter. Nam Paulum Samosatenum, non ab

Impe-

Imperatore (vt tu vis) ſed à Synodo fuiſſe damnatum, apertè docet [a] Euſebius, qui plures, in eum Epiſcoporum ſententias latas fuiſſe memorat; cumque poſtremò ab altero Antiocheno Concilio, ſacris prohibitus, atque exauctoratus eſſet; nec tamen, ab Eccleſiaſtica domo, Synodi auctoritate pelli poſſet, coactos fuiſſe Epiſcopos, Aureliani Imp. quamuis gentilis, opem, atque auxilium implorare, non aliter, ac plerumque noſtra tempeſtate, Eccleſiaſtici Iudices, in atrocioribus criminibus, ſæcularium iudicum cenſuram, atque auctoritatem aduocant. Imperator autem, illum quidem Eccleſiaſtica domo exire compulit, domum vero ipſam, Epiſcoporum Italiæ, Rom. præcipuè Pontificis iudicio, ſententiæque permiſit. Vbi primum obſeruo, etiam ſub Imperatoribus infidelibus, Eccleſiam bona ſtabilia poſſediſſe. Deinde ethnicum Imperatorem, de domo eccleſiaſtica, ſententiam ferre recuſaſſe; id vnum ratum, ac firmum eſſe voluiſſe, quod Epiſcopi, & Romanus præcipuè Pontifex iuſſiſſent. Et non pudebit Chriſtianos Principes, reclamante præſertim Pontifice, de rebus, & cauſis Eccleſiaſticis, leges ferre? Clericos, & quidem nonnulla dignitate conſpicuos, ſæcularibus iudicibus ſubijcere? Itaque Pauli Samoſateni hiſtoria, quam tantopere probas, ſi diligentius expendas, à nobis eſt. Obijcis legem [b] Philippi Imperatoris, qui inter Romanos Principes, omnium primus Chriſto, nomen dediſſe fertur. At quid, quæſo in illa lege reperiſti, quod clericos attingat? Incendiarium, qui ſeſe dolo malo, tam immani facinore contaminarit lege Cornelia, de ſicarijs, puniendum definit; de clericis verbum nullum. Quis igitur,

[a] *lib. 7. hiſt. c. 24. in fine.*

[b] *l. data opera. C. de his, qui accuſ. non poſſ.*

tur, eam legem aliter interpretetur, quam vt in eos tantum vim habeat, qui Rom. Imperio subsint? At loquitur, inquis, sine vollo personarum discrimine. Fateor. Sed ridiculè legislator, non sibi subiectos, excipiat, quos certo constat, suæ legis potestate nequaquã comprehendi; neque enim credo Gallicanis vestris legibus, aut Senatus consultis Hispanos, aut Germanos excipi, quando nec illi Gallos, aut Italos eximendos putant. Aut igitur probandum tibi erat, clericos iure Principi esse subiectos, eiusque legibus, & sanctionibus teneri; aut, si id non probas, pontificiæ sententiæ, lex illa Philippi officere nihil potest. De Athanasio tibi apertè contradicit [a] Thheodoretus, qui eius caussam, in Concilio agitatam, & Episcoporum, non sæcularium iudicum sententia definitam, scribit. Tantum addit, Sanctissimum Episcopum, ab vniuersa Synodo absolutum, Imperialium ministrorum opera, ab inimicorum manibus ereptum, nefarios eorum conatus, atque insidias elusisse. Itaque, qui ab Imperatore constituti erant (vt Theodoretus loquitur) vt paci, & tranquillitati prouiderent, nullas sibi iudicis partes vsurparunt, sed perturbationem, & cædem, quæ hæreticorum improbitate imminere videbatur, pro sui muneris ratione, prohibuerunt. Addis Stephani Antiocheni causam, quem dicis lege Cornelia, reum coram Imperatore actum, ab eius legatis, in Palatio, non in Ecclesia fuisse damnatum. Fateor [b] Theodoretum, rem ita narrasse, vt scribis. Sed reticuisti, quod idem tamen Theodoretus affirmat, iudices maxima ex parte fuisse ecclesiasticos, quamuis eis Prætor additus esset. Et quod ad causam in primis pertinet, Constantium

a *lib.1. hist. eccl. c.30.*

b *lib.2. hist. eccl. c.9. & 10.*

tium Imper. qui ei actioni præfuit Arriana labe infectum, & Ecclesiasticis, non mediocriter fuisse infensum. Videris autem tu, vtrum Arrianos Imperatores, & Ecclesiæ hostes, Venetis tuis imitandos, censeas. Denique potuit ea causa in Regia, non in Ecclesia discuti, quòd periculum esset, ne in cætu Episcoporum, seditio, & maius periculum excitaretur, cum præsertim extra ordinem in ea causa, Imperator judicium exercuerit, postulantibus Episcopis, qui læsi fuerant. De Timotheo Aeluro vehementer admiror, te verba facere voluisse, cum satis constet, illum ab vniuersa Synodo Chalcedonensi damnatum, atque anathemate fuisse percussum. Cum vero ille, hæreticorum studijs plurimum posset, Episcopi omnes, ad eum vlciscendum, Imperatoris opem implorarunt; & quia Ecclesiastici Canones, capitule supplicium non infligunt, precibus ab eo contenderunt, vt legibus ageret, nec pateretur, Ecclesiastica sententia cœtu fidelium exactum, ea scelera impune ferre; quæ Ecclesiasticæ vindictæ (vt illi loquuntur) mensuram excederet. De Zenone præstabat omnino silere: ille namq. vt scribit [a] Euagrius, & tyrannidem exercuit, & hæresim fouit, aliaque quamplurima, contra ius, fasque vsurpauit; Ecclesiasticam denique libertatem, sacrosque canones, quam qui maxime, violauit; vt mirum non sit, ad eius immania crimina, hôc etiam quasi palmare flagitium accessisse, tot alios Episcopos suis Ecclesijs eiecerit, alios iure expulsos nefariè restituerit. Quæ si tibi probanda videntur, meritò Zenonis exemplo, causam Venetam tueris. Sed malēt, (credo) Veneti causa cadere, quam tam perditi Imperatoris exem-

[a] lib. 3. c. 1.

exemplo defendi. Quod verò addis Ecclesiasticam disciplinam, Principum seueritate mirum in modum iuuari, næ ego libens tibi Gallofrance, assentiar. hoc enim semper Ecclesia professa est, & fideles, atque catholicos Principes, tamquam suæ libertatis patronos, ac defensores agnouit, eorum semper auxilium in rebus difficillimis implorauit, suaque iura, eorum auctoritate, & stare, & promoueri non negat: quod in Concilio Tridentino Patres magnificentissime prædicant, obnixèque vniuersos obsecrant, & obtestantur, vt maiorum exempla sequuti, Ecclesiasticam libertatem, & complectantur, & protegant. Sed nimirum hæc Principum, & Magistratuum auctoritas, Ecclesiasticæ libertatis vim, non modo non infringit, aut minuit, sed vehementer potius confirmat, ac roborat. Neque aliud significat [a] Augustinus priori illo loco, quem ex [b] Gratiano indicasti. Cum autem posteriori, malos clericos curiæ traditos affirmat, siue traditos fuisse velis vt curiæ ministrent (quod plerique sentiunt) siue, vt iustum supplicium subeant (quod alij malunt) vtrũ vis auctoritate Ecclesiasticorum præsulum, non Principum imperio, fieri consueuisse significat.

a Ep. 54. ad Maced.
b 23. q. 5. c. prodest

Aliam subinde, disputationem aggrederis, & Iustiniani [c] Nouellas obijcis, quibus ciuilium, & Ecclesiasticorum criminum differentia notatur, quasi vero obscurum sit, qualis hic Imperator fuerit, quamque à fide catholica alienus, cuius denique opera tam multas leges, de rebus Ecclesiasticis, & sacrosanctis tulerit. Tantum enim ille sibi alieni iuris sumpsit, vt quod B. Ambrosius, [d] in auditum esse dixit, fidei controuersias definire non dubitarit. At laudem à Ioanne

c 79. 83. 123.
d lib. 5. ep. 32.

Rom.

[a] Rom. Pont. Fateor, ſed quòd res Eccleſiaſticas pio tunc ſtudio complecteretur, quòd iuſtitiam coleret, quòd ſcelera, atque flagitia legum auctoritate compeſceret, & vlciſceretur, quòd Eccleſiæ dignitatem, & tueretur, & coleret, quòd Sedi Apoſtolicæ cuncta ſubijceret, quòd Romanam Eccleſiam, omnium Eccleſiarum caput, & magiſtram agnoſceret. Nouellas autem illas, quas tu laudas, Ioannes Pontifex ne videre quidem potuit, qui antequam ederentur, diem, (vt creditur) clauſerat extremum. Doce igitur leges Venetas eſſe Apoſtolicæ auctoritati ſubiectas, ſacris canonibus, & Eccleſiaſticis ſanctionibus congruentes. Doce non pugnare cum Eccleſiaſtica libertate, tum iure ſuadebis, vt Paulus V. eas non ſolum probet, ſed etiam laudet. Ita ſuæ dignitatis rationem habebit, vt maieſtatem Senatus, ne leuiter quidem imminuat. Affers deinde ſententiam Bartoli, qui Pontificatum dixit eſſe, quaſi fratrem, Principatum vero, ſororis locum tenere. Sit ſanè ita, non ibis tamen inficias, iſto præſertim Gallicano iure, quo nere lilia pernegatis, ſorores fratribus eſſe ſubiectas, agnoſcant igitur aliquando Veneti tui, Pontificatum virum eſſe, & fratrem, & quidem primogenitum, Senatum verò, & Venetam Rempublicam minorem natu ſororem, quam fratri dicto audientem eſſe neceſſe ſit. Verius autem omnino dixiſſes Pontifices eſſe Patres, Principes (vt ſacri Canones affirmant) eorum filios. Tu vero videris vtrum filios parentibus, an parentes filijs parere iubeas. Mones præterea Pontificem, vt [b] Pelagij ſententiam ſequatur, qui Narſæ Patritio, ac Duci imperat, vt Epiſcopos neſcio quos ſchiſmaticos, compri-

a *l. inter claras C. de ſum. Trin. & fide cath.*

b *Epiſt. 3. habetur apud Grat. 23. q. 5. c. de ligurib.*

mat, & iusto supplicio afficiat. At vide, quid inter illam, & istam causam intersit. Agebatur Pelagij ætate, de Episcopis schismaticis, Ecclesiastica sententia damnatis, & fidelium cœtu eiectis, quos meritò Pelagius, quasi laicis Magistratibus permissos, Ducis imperio, atque auctoritate plectendos docet. Hic vero carcere detinentur inclusi ecclesiastica dignitate conspicui, quibus (vt aiunt) grauia quædam flagitia obijciuntur, sed nullo Ecclesiastico iudicio probata, nullius sententia damnata, contra priscos, & recentes canones, reclamante Pontifice, vniuerso denique ordine indignante, & suadebis pontifici non solum vt dissimulet, ac sileat, sed etiam laudet? Ego vero, ex hac ipsa historia, possum tibi ostendere, ciuiles, ac politicos magistratus, nihil sibi iuris in viros Ecclesiasticos vindicasse. Siquidem vir ille Patritius, absque Pontificis nutu, Episcopos Concilij auctoritate damnatos, & dignitate exutos, attingere, aut violare reformidabat. Quod deinde, ex eodem [a] Pelagio subdis, in causa Episcoporum Aquileiensis, & Mediolanensis, eadem responsione refellitur; Exauctoratos quippe iam Ecclesiastica sententia, Imperatori sistendos monet, non quasi vllam ei tribuat in Ecclesiasticos auctoritatem; sed vt ille iam legitimè gradu deiectos, iusto supplicio plectat. Id vero (vt arbitror) Venetæ causæ aptari non posse, pro tua ingenuitate, non grauatè admittes: nam & ego tibi vicissim, vltro concesserim (quod ex Pelagij Epistolis apertè colligi contendis) Romanos Pontifices, omnesque adeò Ecclesiasticos iudices, cum de reorum supplicio agitur, principum, & ciuilium magistratuum opem, atque

a Epist. 5. habetur apud Grat. 11. q. 1. c. illud est.

auxilium

auxilium expetere consueuisse, non in Italia solum, sed in omnibus Christiani orbis Regnis, atque Prouincijs.

Redis ad Matisconense Concilium, eiusque auctoritate, pristinam (ais) in Gallia retentam esse consuetudinem; cum tamen, vt antea monui, quicquid in illo definitum sit, non ita multo post in altero Matisconense Concilio, eodem Gontranno regnante, vel reuocatum, vel explicatum fuerit, vt libertas Ecclesiastica ius suæ immunitatis, in isto etiam Regno, perpetuo retinuisse videatur, & quod de pristina consuetudine commemoras, non satis firmo fundamento nitatur. Quod ex tua oratione facile quiuis intelligat. ita enim disputas, vt pro certo potius ponere, quam probare videaris, cumque id quod affirmas multis exemplis, refelli posse animaduerteres, si quid secus factum sit, Regis permissu, ac voluntate, id actum fuisse contendis: nos contra iure canonico defendimus: vtri parti credendum sit, docti viderint. Res quidem ipsa, sacri [a] Canones, Caroli Constitutiones, vestrarum denique rerum scriptores, [c] à nobis sunt: Siquidem Regni vestri constitutiones, non solum statuunt, Ecclesiasticos apud sui ordinis iudices, esse iudicandos, sed, si quid de illis iudex laicus pronunciasset, irritum, atque inane esse volunt. Apud [d] Cassiodorum autem, Theodoricus ad Petrum Episc. in hæc verba respondit. *Causarum vestrarum qualitas, vobis debet iudicibus terminari; vnde expetenda magis, quam imponenda iustitia.* Et Atalaricus apud eundem, [e] ad Romanos clericos hæc scribit. *Sed interim vos, quos iudicia nostra venerantur, Ecclesiasticis viuite institu-*

a *c. si Imperator. d. 96. vbi Glos. Turrecr. & aliq. 11. q. 1 c. Syluest. & c. solite. de maiorit. et obedien.* 11. q. 1. *per tot.* 15. q. 7. & 8. *Niceph l 7 c.* 46
b *lib.* 1. *capitul. c.* 38. *lib* 5. *c.* 15. 20. 237. *lib.* 6. *c.* 115. 109. 110. 281 *l.* 7. *c.* 115. 106 107. 111. 112. 266. 321. 322. 335.
c *Anne. Rober. l.* 1. *rerum iudic. c.* 6.
d *lib.* 5. *ep.* 37.
e *lib.* 8. *ep.* 24.

tis. Et in Concilio Aquileiensi aduersus Palladium; dixit Ambrosius; *Sacerdotes, de laicis iudicare debent, non laici de Sacerdotibus*. Gallicanam vero consuetudinem, ex Concilio [a] Turonensi vestro, facilè possumus interpretari: sic enim loquuntur Patres; *Incestuosi, parricidæ, homicidæ, multi apud nos (heu proh dolor) reperiuntur, sed aliqui ex illis, Sacerdotum nolunt admonitionibus aurem accommodare, volentes in pristinis perdurare criminibus, quos oportet per sæcularis potentiæ disciplinam, à tam praua consuetudine coerceri, qui per salutifera Sacerdotum monita noluerunt reuocari*. Vt appareat Christianissimi istius Regni iura, & sacris Canonibus esse in primis consentanea, & à prisca Christianorum Principum consuetudine, non abhorrere. Ecclesiasticus etenim iudex, de clericorum causis sententiam fert, Principes eam sententiam tuentur, ac protegunt, suaque auctoritate repugnantes compescunt, & si res postulet extremo supplicio afficiunt. Idque superius à te allata exempla confirmant, quibus addo [b] Iustiniani tui auctoritatem, qui Sacerdotes, si forte nefarias nuptias contraxissent, non prius curiæ tradi voluit, quam infularum iure, ab Ecclesiasticis iudicibus ritè spoliarentur. Quod igitur ais, Reges Christianissimos, tametsi mitius egerunt aliquando, noluisse tamen suam imminui maiestatem, vel auctoritatem infringi; verè à te, appositèque dictum videri posset, si quod in Ecclesiasticorum causis actum fuisse non negas, non iuris auctoritate, sed lenitate, atque indulgentia Principum, factum fuisse probasses.

Leonem IV. [c] ad Ludouicum Reg. scripsisse dicis, paratum se, eorum, quæ sibi obijcerentur, rationem rede-

a Cap. 41.

b Nouel. 123.

c 2. q. 7. c. nos si incompetenter.

reddere, quod eo consilio à te dictum videtur, vt idem in hac Veneta causa, Rom. Pontifici Paulo V. persuadeas. Sed longè aliud, & causæ, & temporis ratio postulare videtur; ibi enim Leo Regiam dignitatem læsisse (quamquam falsò) multorum sermone ferebatur: hic contra iure queritur Pontifex, Ecclesiasticam iurisdictionem miris modis conuulsam, sacros canones violatos, suam denique auctoritatem neglectam, & pro nihilo habitam; vt monendus potius Senatus videatur, vt Pontificiam dignitatem aliquando agnoscat, & qua decet veneratione, cultuque prosequatur. Cæterum non propterea Leo Pontif. se cuiusquam sententiæ, aut iurisdictioni subiecit, sed suam, tum innocentiam, tum modestiam præsetulit: quod etiam de Sixto III. & Leone item III. affirmandum est, vt ex ijs quæ Gelasius [a] Pontifex definit, & de causa Symmachi scribit [b] Ennodius, intelligi facile potest. Nouum ex Cōcilio Suessionensi, sub Carolo Caluo, exemplum affers, quo duo Monachi rei Maiestatis, à cœtu Monachorum, eorumque Abbate, laicis iudicibus permissi sunt. In quo miror, te non vidisse, auctoritatem Ecclesiasticam non præcessisse solum, sed etiam præfuisse: quod in causa Veneta, iure optimo Pontifex requirit. Tu verò Parisiensem consuetudinem laudas, librumque forensis praxeos, qui Parlamenti stylus inscribitur, defendis, Hispanos iurisconsultos testes adhibes, Gallicana, & Toletana Concilia in medium adducis, vt probes iure posse Regios, & politicos Magistratus, non solum atrociora clericorum crimina, sed pleraque etiam alia iudicare, & supplicio afficere. Atqui [c] Scriptores vestri affirmant Anno

a *9.q.3 c. ipsi sunt. & cap. cuncta per mundum.*

b *lib pro defens. 4. & 5. Synodi Sym. habetur. 9. q. 3. c. aliorum hominū.*

c *Ann. Rober. l. 4. rerum iudic. c. 6.*

M. D.

M. D. L X X X V I. cum Sacerdos, à laico reus veneficij factus esset, Senatum Parisiensem, sacrorum Canonum auctoritate, eam causam, quibusdam adhibitis conditionibus, Episcopi iurisdictioni permisisse. Cæterum de istius Christianissimi Regni consuetudine, (vt iam dixi) nulla mihi tecum suscepta est disputatio: id vnum fidenter affirmo, quicquid Regib. Christianissimis, in personas, aut causas Ecclesiasticas licet, Ecclesiastica libertate, ac munificentia concessum esse. Ecclesiam porrò, quod subdit, criminibus purgare, laudabile esse non nego, modo rectè, ac ritè fiat, hoc est ab eo, qui iure possit.

a *Psalm. 104.*

De verbis Dauidis,[a] Nolite tangere Christos meos. & Bernardi sententia, quam indicas, nolo tibi respondere. Fac nihil inde colligi, ad Ecclesiasticam tuendam libertatem; sat nobis fuerit, esse illam diuino iure subnixam, Principum priuilegijs fultam, sacris denique canonibus probè stabilitam. Vnum obijcis Richardum [b] Cantuariensem Archiepisc. de quo te nominatim supra monui, quòd in eo videaris, ne Grammaticæ quidem leges, probè calluisse, qui pro Episcoporum, & Sacerdotum occisoribus, Sacerdotes, & Episcopos homicidas, acceperis. Addam auctoris verba, ne quicquam me finxisse suspiceris; *Si quis*, inquit, *Sacerdotem, vel clericum minoris, aut maioris status occiderit, Ecclesia sola excommunicatione contenta, aut (vt verius loquar) contempta, materialis opem gladij non requirit*. Hoc ille allatis ex sacris literis testimonijs reprehendit, ac damnat, ostenditque hæc, & similia flagitia à Principe, & Magistratu plectenda esse. Quod, vt vides, non propriè pertinet ad clericorum crimina, nisi

b *In ep. Pet. Blesen. ep. 73.*

nisi solos clericos armari posse putes in clericos, vel sacerdotes. Post nonnulla verò subdit: *Ecclesia iurisdictionem suam prius exerceat, & si illa non sufficit, eius imperfectum, suppleat gladius sæcularis.* Mox verò addit; *Duo sunt gladij, qui mutuum à se mendicant auxilium, atque ad inuicem sibi vires impertiuntur alternas, sacerdotium Regibus, & sacerdotibus Regnum. Ideòque si ab altero suppletur alterius insufficientia, non videtur duplex contritio, aut punitio combinata.* Iure igitur queritur Episcopus, per speciem censuræ ecclesiasticæ, Regiam iurisdictionem in homines laicos, quamuis sacerdotum occisores violari, & scelerum, ac flagitiorum impunitate, vitijs veluti habenas laxari. De causis clericorum ne vllum quidem, verbum facit: Quis verò neget eos, qui clericos occiderint, sæcularium iudicum sententia plectendos esse? Quæ omnia si rectè interpretari velis, Ecclesiasticam dignitatem maximè commendant, quæ etiam in laicos censuram exerceat. Rursus nobis Gallicanas leges opponis, quòd absque discrimine tam in laicos, quam in Ecclesiasticos pœnas statuant, sed si clericos non nominant, nihil illæ ad Ecclesiasticas causas, aut personas pertinent: quod præcipuè dixerim, ob tuam illam Francisci I. legem, anno M. D. XXXIX. latam, quam miris laudibus extollis, vel enim clericos non attingit, vel Ecclesiastico priuilegio nititur, quale est illud Innocentij (quod tu commemoras) contra assassinos.

Seruini tui nos iterum auctoritate oppugnas; sed eius in Nouiodunensi causa defensio, nisi Ecclesiastico priuilegio fulciatur, aut validioribus argumen-

tis firmetur; plane concidat necesse est. Nam de exemplo [a] Episcopi Troados, dixi supra nihil inde colligi, quod Venetam causam iuuet, aut Ecclesiasticam lædat libertatem. Ad cætera Seruini testimonia, cum ea non exprimas, nihil possum respondere. Quæ vero illum confutasse dicis, quia ne eminus quidem indicas, quis possit diuinare? Cæterum quòd Bonifacij sententiam de duobus gladijs, tam liberè reprehendit, iam supra dixi, eius me modestiam, ac fidem magnopere desiderare. Græcos, ait, Latinosque Patres, locum illum [b] Lucæ, aliter interpretari. At [c] Athanasius, [d] Basilius, [e] Hilarius, & quem falsò nominas, [f] Augustinus, verba illa ne attingunt quidem. Tantum dicunt, aliud voluisse Christum, cum iussit parari gladium, quam discipuli intelligerent, qui arma ad Magistri defensionem, expedienda esse arbitrabantur.

a Niceph. lib. 14. c. 39.

b

c q 33. ad Antioc.
d Regul. breuior. 251.
e Can. 32. in Mat.
f q. 104. mixtim.

Sed quando nullum pro Seruino tuo, potuisti afferre auctorem, qui Bonifacio contradicat; audi [g] Bernardum Galliæ tuæ delitias, de hoc Lucæ Euangelistæ loco, in eandem planè sententiam disserentem. Sic enim de gladio loquitur; *Quem tamen, qui tuum negat, non satis mihi videtur attendere verbum Domini dicentis sic, Conuerte gladium tuum in vaginam. Tuus ergo, & ipse, tuo forsitan nutu, & si non tua manu, euaginandus. Alioqui, si nullo modo ad te pertineret, & is, dicentibus Apostolis, Ecce duo gladij hic; non respondisset Dominus, satis est, sed nimis est.* Audi vero quid sequatur. *Vterque ergo,* inquit, *Ecclesiæ, & Spiritualis, scilicet gladius, & materialis: sed is quidem pro Ecclesia, ille vero, & ab Ecclesia, exerendus est. Ille sacerdotis, is Militis manu, sed sanè ad nutum sacerdotis, & iussum Imperatoris.*

g lib. 4. de cons. ad Eug.

ratoris. Vides, opinor, Gallofrance, quam bellè Bernardi ſententia, cum Pontificis interpretatione cohæreat; vt iniquius feciſſe videatur Seruinus tuus, qui Pontificiam illam explicationem, tantopere reprehenderit, cum præſertim plurimi tum [a] Theologi, tum iuris [b] canonici periti idipſum docuerint. Tu verò nimium excanduiſſe videris aduerſus quorundam ſcripta, mentito (vt ipſe interpretaris) Cardinalium nomine, vulgata, quibus illa ad Petrum [c] cælitus miſſa verba, occide; & manduca; ita explicantur, quaſi duplex paſtoris munus indicent, occidendi, & manducandi. Sed profecto negare non potes, vtrumque dictum eſſe Petro, cui linteum, quaſi vas quoddam, mentis oculis obijciebatur, in quo erant omnia quadrupedia, & ſerpentia terræ, & volatilia cæli: Quæ omnia Origenes, [d] & Ambroſius, [e] non dubitant ad homines pertinere, qui Eccleſiæ veluti ſinu comprehenduntur. [f] Auguſtinus autem, cum eandem interpretationem ſequitur, tum planius explicat, quomodo homines occidendi ſint. *Occidendi ergo erant*, inquit, *& manducandi, id eſt, vt interficeretur, in eis vita præterita, qua non nouerant Chriſtum, & tranſirent, in corpus eius, tamquam in nouam vitam, ſocietatis Eccleſiæ.* Et Gregorius multo apertius, Eccleſiam namque leænæ comparat. *Rectè autem*, ait, *Eccleſia leæna nuncupatur, quia malè viuentes, in vitijs, ore ſanctæ prædicationis, interficit. vnde, & ipſi primo paſtori, quaſi huius leænæ ori dicitur; Macta, & manduca. Quod mactatur quippe, à vita occiditur. id verò, quod comeditur, in comedentis corpore commutatur. Macta ergo, & manduca, dicitur; ideſt, à peccato eos, in quo viuunt,*

a *D. Thom. in 4. d. 45. q. vlt. in fine. Henric. Gandau. Quodlib. 6. q. 23. Augu. de Anch. in proœm. ſuæ ſum. Antonin. Sylu. & alij.*

b *Innoc. c. licet ex ſuſcepto. de foro comp. Panor. ibid. n. 8. & c. cauſam. 2. qui fil. ſint legit. n. 6. & c. per venerabilem. cod. n. 15. & c. nouit de iud. n. 12. 13. 16.*

c *Act. c. 10.*

d *Hom. 7. in Leui.*

e *Serm. 67 qui eſt 2. de nat. Apoſt.*

f *Serm. 26. de diuer. c. 7.*

interfice, & à se ipsis, illos in tua membra conuerte. Vides igitur, quæ ab Illustrissimo Cardinali Baronio dicta sunt, parum benigne fuisse, à te ad hominum cædem, atque exterminationem translata: cum tamen ille, cum Augustino, & Gregorio, vitia, & peccata perimenda, ac de medio tollenda censeat. Neque enim sicam ad hominum sanguinem fundendum vibrat; sed illum gladium intentat, de quo ad Eugenium loquitur [a] Bernardus. *Nunc verò*, ait, *arripe illum, qui tibi ad feriendum creditus est & uulnera ad salutem: si non omnes, si non vel multos, certè quos possis*. Et paucis interiectis. *Ideò, tu insiste magis, si forte audiant, & quiescant, insiste, & resistentibus*. Et mox. *Insta opportune, importune, & propheta, inquit, præcipitur, clama, ne cesses: ad quos nisi ad sceleratos, & peccatores? Annuncia inquit, populo meo scelera eorum, & domui Iacob peccata eorum. Denique si dura fronte sunt, durato, & tu, contra tuam: nihil tam durum, quod duriori non cedat. Dominus ad Prophetam, Dedi frontem tuam, duriorem frontibus eorum*. Finge igitur, huc Baronij orationem spectasse, idque optimum, ac sapientissimum Cardinalem, suasisse Pontifici, vt minus rectas Venetorum leges, iugularet, & quicquid erat, sacris Canonibus repugnans de medio tolleret, & Ecclesiasticos ritus, sacrosque canones in eam Remp. induceret.

[a] Lib. 4.

Cæterum quod ais, Seruinum docuisse, in illa Nouiodunensi causa, canones pro Ecclesiastica libertate, vim nullam habere; quoniam quid Seruinus dicat, non explicas, nullum responsioni locum reliquisti: quis enim confutet, quod omnino non nouit? Contra verò omnis catholica Ecclesia, eos tanti facit, vt existimet,

met, illos vniuerſim, ne ſummi quidem Pontificis auctoritate, abrogari poſſe. Miror autem Seruinum, ex Concilio Mileuitano proferre, quod in eo quidem nuſquam extat; legitur autem in Concilio [a] Toletano iij. Deſine verò Gallicani Regni priuilegia, tam quam iura Regia, omnibus principibus proponere: noli Venetam cauſam, cum omnium Principum cauſa, coniungere, quandoquidem nemo catholicorum principum, hanc Venetorum licentiam, ſibi audet vſurpare; quam ne ipſi quidem Veneti ſemper probarunt: ſiquidem alias, [b] cum auitam pietatem, ac religionem maximè colerent, à Pontifice moniti, perſimiles leges, olim latas, irritas eſſe iuſſerunt. Et non ante multos annos, præter ſacramentum, quo ſeſe Iulio ij. obſtrinxerunt, Concilij Trident. decreta promulgarunt, ſeque illis obtemperaturos, profeſſi ſunt. Verendum igitur eſt, ne dum recentes Senatus leges tueris, ſuperiorum Senatorum, ac Ducum, ſententiam damnes. Neque verò inficiari potes leges ciuiles, ſacris Canonibus iure ſubijci, & plurimas Imperatorum ſanctiones, Canonum auctoritate fuiſſe [c] antiquatas.

Quæ cum ita ſint, Venetos tuos, & amicos, & fœderatos mone, vt ſibi perſuadeant (quod alicubi verè ſcripſit [d] Bernardus) ſummum victoriæ genus eſſe, diuinæ cedere Maieſtati, & auctoritati Matris Eccleſiæ non reluctari, ſummum eſſe honorem, & gloriam. Meminerint (quod monet [e] Auguſtinus) *ad Reges ſæculi Chriſtianos pertinere, vt temporibus ſuis, pacatam velint Matrem ſuam Eccleſiam habere, vnde ſpiritualiter nati ſunt*. Et [f] Fulgentium, piè ſcribentem, audiant, Imperatorem non ideo immortalem vitam ex-

a *Cap. 13. habetur apud Grat. 11. q. 1. c. inolita.*

b *Extat Epi. Duc. Paſqual. Marpe. ad Pium ij.* Item *ſolemn. ſacra. quo ſe* Iulio *ij. obſtrinxerunt.* Denique *breu. Greg. xij. Eugen. iv. & Clem. vii. quib. Eccleſiaſtica libertas apud Venetos defenditur.*

c *d. 10. c. 1. c. lege. c. non licet. c. certũ eſt. c. conſtitutiones c. quoniã. d. 96. c. ſi* Imperator. *in fine. 11. q. 3. c. ſi dominus 33. q. 2. c. inter. l. priuil. C. de ſacro. priuil & ibi Gloſ.*

d *Ep. 185.*

e *Tract. 11. in Io.*

f *lib. de prædeſ. & gra. Chri.*

pectare, quod apicem terreni principatus acceperit; *Sed si in Imperiali culmine, recta fide viuat, & vera cordis humilitate praeditus, culmen Regiae dignitatis, sanctae religionis subijciat.* Nec sibi ob fidei integritatem, quam voce profitentur temere blandiantur. Verè enim dictum est à Beatissimo Martyre [a] Cypriano. *Qui cathedram Petri, super quam fundata est Ecclesia, deserit, in Ecclesia se esse non confidat.* Et in eandem sententiam Augustinus, [b] *Teneamus*, ait, *fratres mei, vnitatem, praeter vnitatē, & qui facit miracula nihil est.* [c] Alibi vero. *Quemadmodum membrum si praecidatur, ab hominis viui, corpore, non potest tenere spiritum vitae; sic homo, qui praeciditur, de Christi iusti corpore; nullo modo potest tenere spiritum iustitiae, etiam si figuram membri, teneat, quam sumpsit in corpore.* Intelligant, se Principes quidem esse, summo imperandi iure praeditos; subesse tamen praeceptis Apostolicis; de quibus [d] Gregorius IV. hunc in modum scripsit; *Praeceptis Apostolicis non dura superbia resistatur; sed per obedientiam, quae à Sancta Romana Ecclesia, & Apostolica auctoritate iussa sunt, salutifere impleantur; si eiusdem sanctae Dei Ecclesiae, quae est caput vestrum, communionem habere desideratis.* [e] Alio item loco, *Nulli fas est velle, vel posse transgredi Apostolicae Sedis praecepta, nec nostrae dispositionis ministerium.* Neque aliter de Romana Sede loquitur [f] Stephanus *Quicquid illa statuerit*, inquit, *quicquid ordinat, perpetuo, & irrefragabiliter obseruandum est.* [g] Nicolaus vero II. Mediolanenses Romani Pontificis Imperium detrectantes, hunc in modum alloquitur; *Qui autem Romanae Ecclesiae priuilegium, ab ipso summo omnium Ecclesiarum capite, traditum, auferre conatur; hic proculdu-*

bio,

a lib. de vnit. eccl. habetur. d. 93. c. qui cathedram.

b Tract. 13. in Io. habetur. 1. q. 1. c. teneamus.

c Epist. 50. apud Grat. 23. q. 7. cap. quemadmodum.

d d. 12. cap. praeceptis.

e d. 19. c. nulli.

f d. 19. cap. enim vero.

g d. 22. c. oĩs. cui consentiūt D. Tho. opusc. contra impugnat. relig. & 4. cont. Gent. c. 76. Antonin. 3. p. tit. 22. c. 6. §. 5. Nicol. I. ad Micha. Imp.

bio, in hæresim labitur, & cum ille vocetur iniustus, qui videlicet aliarum Ecclesiarum iura violat, *hic est procuidubio, dicendus hæreticus. Fidem quippe violat, qui aduersus illam agit, quæ mater est fidei; & ille contumax inuenitur, qui eam cunctis Ecclesiis, prætulisse cognoscitur.* Addo plurium Pontificũ consensu,[a] Damasi,[b] Adriani,[c] Gregorij, eiusdem[d] Nicolai hoc grauissimum crimen censeri, & piaculum in Spiritum sanctum in ipsis etiam Regibus, graui anathemate feriendum. Desine porrò monere Pontificem, vt suis abstineat querimonijs, imprecationibus, & maledictis; nosti enim hæc esse salutaria, interdum etiam necessaria medicamenta,[e] nisi quis adeò sit perdita, ac desperata valetudine, vt morbi malignitate peruincente, ipsa antidota corrumpantur, & fiant aconitis deteriora. Iam de priuilegijs, quibus Veneti, à Sede Apostolica liberalissimè ornati sunt, quid attinet verba facere. Vtinam illi, intra fines sibi præscriptos continuissent sese, numquam profectò, iustam Pontificis seueritatem experti essent. Sanctissimus autem Pontifex, non modo non rescindit, quæ à maioribus sancita sunt, sed hoc ipsum queritur, ea temerè, ab ijs fuisse violata, quorum vtilitati concessa erant. Cæterum Venetos tuos nullis rationum momentis iuuari, omnibus veritatis viribus destitui, humani, diuinique iuris auctoritate damnari, omnium Christianorum suffragijs explodi, quamdiu denique censuris implicitì tenentur, in eo periculo versari, quod duo summi Pontifices[f] Vrbanus II. &[g] Gregorius VII. grauissimis verbis minantur, ne ipse quidem, Gallofrance, ignorare potes. Contra verò Pontificiæ sententiæ, atque censuræ summam

a 25. q. 1. c. *violatores*.
b *ibid. c. generali*.
c *lib. 2. ep. 7. habet. ibid q. 1. c. hæc consona*.
d 25. q. 2. c. *si quis dogmata*.
e Conc. Trid. *sess. 25. c. 3. 2. q. 1. cap. multi. 16 q. 2. c. visis. 24. q. 3. c corripiantur, & c. notandum c. resecandæ. ex D. Hier. ad Gall. 5. Prosp. lib. 2 de vita contempl. c. cum medicinalis de sent. excom. in 6. Panor. c. peruenit de exces. prel.*
f II. *c. nos sanctorum 15. q. 6.*
g *Ibid. c. iuratos*.

mam æquitatem, ac propè dixerim [a] necessitatem; plurimorum Pontificum exempla, [b] doctissimorum virorum placita, [c] communis catholicorum consensus, Principum, atque Imperatorum leges, Conciliorum canones, Sedis Apostolicæ responsa, vno verbo, omnia, tum ciuilia, tum ecclesiastica iura confirmant. Nec quisquam eam, hactenus impugnare ausus est, qui non idem, de Pontificia potestate, aliter sentiret, ac loqueretur, quam fides catholica, sentiendum, & loquendum præscribat. Itaque boni omnes magnopere mirantur cur tibi venerit in mentem fatalē diem Vrbi, & Orbi frustra ominari. Stabit enim Ecclesia quandiu stabit mundus; & quicunque aduersus illam, excitabuntur, siue tyrannorum conatus, siue hæreticorum impetus, siue impiorum eruptiones; quasi fluctus ad scopulum allisi illico frangentur & deficient. Polliceris ad extremum quartæ legis defensionem, quæ de bonis emphyteuticis agit, quam dum auide expectò, Deum immortalem supplex precabor, vt suo numine Venetos benigne aspiciat, & illis quidem, saniorem mentē, tibi vero, salubriora cōsilia adspiret.

a *d. 83. c. error d. 86. c. facientis Leo Pont. Epis. 3. 84. seu 86.*

b *Recensentur in sentent. interdicti.*

c *D. Thom. 2. 2. q. 43. a. 3. Alber. mag. in 4. d. 18. a. 18. q. 1. Couar. c. alma mater. §. 9. n. 3. Victor. relect. 1. de potest. eccles. prop. 6. & 8. n. 14. Glos. c. in istis. d. 4. & c. 1. d. 20. Pan. c. ne innitaris n. 3. de consti. Felin. ibid. n. 5.*

FINIS.

